

CICHINO (Giorgio)

CARMINA (3616 vers)

LIBER PRIMUS

AD CHRISTUM DEUM OPTIMUM MAXIMUM

C1_1 v.1 Has tibi, summe deum, lacrimas, haec thura dicamus,
 2 oscula dum pedibus dat pia turba tuis.
 3 Omnipotens, si non piguit te sanguine justo
 4 mortale aeterna morte levare genus
 5 atque Erebi horrendas dextra recludere portas
 6 linqueret ut tenebras sancta caterva patrum,
 7 ne, pater, infestos nolis depellere morbos,
 8 qui miseris torquent tabida membra modis,
 9 vel tua si addiderit jam nos sententia morti,
 10 ne tamen aeterna nocte jacere velis.

C1_2 v.1 Phylli, mihi ante alias uni mihi cara puellas,
 2 cujus adhuc sensi vincula prima puer,
 3 Floridaserta rosis lauroque immista virenti
 4 dat Lycidas, cingant floridaserta comas.
 5 Te rosa purpureo moneat mox languida flore,
 6 Phylli, legas fructus dum licet ipsa tuos.
 7 Laurus at ut multos viridissima durat in annos,
 8 carmine sic culto vivere, Phylli, potes.

DE PHILOMELA UTINENSI

C1_3 v.1 Philomela, decus puellularum,
 2 quotquot Utinea tenentur urbe,
 3 Lupo uno atque eodem toro jugatur :
 4 illa delicia Utinensium, illa,
 5 illa cui comites erant lepores,
 6 seu blande caneret suos amores,
 7 plectro fila movens lyrae sonanti,
 8 mulcebat liquidum aethera atque cantu,
 9 seu circis juvenum et puelluarum
 10 mellito dabat ore verba grata,
 11 dum nexis manibus tenent se amantes

12 denudatque humeros amans amantis.

C1_4 v.1 Tunc furens totum penitus per orbem,
 2 quaeris accensa face, nec quiescis,
 3 non die sistis veniente cursum,
 4 non abeunte.
 5 Audiit rubri Oceani unda dives,
 6 audiit natam revolutum ab Euro
 7 aequor amissam querulo vocantem
 8 saepius ore.
 9 Nympha, quae errores miserata longos,
 10 Indicas raptum, tibi fons perenni
 11 sit, precor, rivo niteantque semper
 12 margine flores.
 13 At dea infanda fuge magna terra ;
 14 non licet quemquam superas ad oras
 15 evehi, Lethe male olente postquam
 16 tinxerit unda.
 17 Linque pollutum hospitium atque nostras,
 18 hic ubi magnos celebrant honores,
 19 nec sinunt plectro tacitam canoro,
 20 transfer in oras.

C1_5 v.1 Ergo ego, qui placidam speravi ducere vitam,
 2 cum domina jungens gaudia tuta mea,
 3 longius a strepitu bellorum atque omnibus armis,
 4 dum nigram inficeret cana senecta comam,
 5 nunc cogor lituosque pati sonitusque tubarum,
 6 et domina avulsus ad fera bella trahor.
 7 Eheu hominum crudele genus sua quaerere damna
 8 intentum atque novam mortis inire viam !
 9 Quid miseri nostra conflamus peste metalla
 10 sulphureoque igni plumbea tela damus ?
 11 Machina praecipites pilas cum mittit athena,
 12 saxa tremunt, referunt flumina magna pedem.
 13 Non cunei aut telis acies conserta coruscis
 14 impediunt, inhibent arma nec ulla moram :
 15 densa velut rapidis jactantibus undique ventis
 16 nubila, cum torquet fulmina dira pater,
 17 quacumque illa viam ; nebulae scinduntur opacae,
 18 mortali abruptus intonat aure fragor.
 19 At percussa gemunt frondosa cacumina montis
 20 aerae et turres, regia et alta domus,
 21 ferrea sic frangit glans propugnacula belli,
 22 urbibus haec altis maxima perniciēs.
 23 O quoties Fauni et Dryades metuere puellae,
 24 ne ruerent alto sidera fulva polo,
 25 mirataeque novum pugnae genus ore locutae :
 26 "Una praestat avis hac ratione nepos".
 27 Tempora at haec longis non sunt amagibus apta
 28 et clypeum et galeam jam properate mihi :
 29 certum est audentes inter consistere primos

30 nec patriae dulci ferre negamus opem.
31 Surgite jam cives animis et corpore laeti,
32 surgite, nec teneat lumina victa sopor !
33 Hostis adest, latis descendunt agmina campis,
34 alterno sonipes concutit arva pede.
35 En agite antiquum factis accersite honorem
36 fortibus, en valida sumite tela manu,
37 non galeas horrete truces fulgentiave arma,
38 grandiave ad tardos crura resecta pedes.
39 Quam bene suscipient immania vulnera terga,
40 quam bene barbaricum spicula missa latus.
41 Germanas video nostros urgere phalanges,
42 nostra nec immanes lumina posse pati.
43 Non auro aut gemmis crudelia bella geruntur :
44 arma decent fortes telaque adunca viros.
45 Tempus adest, aliudque, viri, ne accersite tempus,
46 solvere jam longo pectora pressa metu.
47 Castra tenent pueri vino somnoque jacentes,
48 ad cratera sedent femineique greges.
49 Auribus intentis mihi quondam audita recordor
50 talia longaezum verba dedisse senem,
51 cui demissi humeris pendebant vertice crines
52 ambrosiaequae genis cui veniebat odor :
53 "Eheu quas hominum strages, quae corpora passim
54 jam modo, si vivas, fusa videbis humi,
55 cum Germana phalanx, fatis urgentibus, ultro
56 adveniet, Carnos ut ditione premat.
57 Juppiter hos populos Manesque odere nefandos,
58 contemnunt justos qui sine more deos.
59 Est locus agreste vero quem nomine Campum
60 appellant, placidis qua Ledra fertur aquis ;
61 hic miseranda dabit spectacula caedis aperte,
62 Barbarus inficiet flumina et alta cruor.
63 Ille dies gentem perdet bellumque supremum,
64 ille dies vobis otia longa feret.
65 Plura loqui nec fata sinunt, nec Juppiter ipse,
66 namque meae veniunt nuntia signa necis."
67 Haec ubi divino de pectore verba profudit
68 ultimus invasit frigida membra pavor.
69 Vos modo felici auspicio et diis ite secundis,
70 ite animis, latam ferro aperite viam :
71 in manibus vestris cives sunt templa Laresque,
72 sunt nati, est conjux, est patriaeque salus.
73 O ego quam laetus spoliis praedaeque potitos
74 aspiciam cum vos inde referre gradum,
75 quam fuerit gratus nostrisque parentibus error
76 Barbarico indutos tegmine adesse suos.
77 Caelicolis hodie reddetur gratia divis,
78 sacra erit haec etiam semper habenda dies.
79 Non deerit carus Musarum Abstemius antro,
80 qui celebret chartis nomina nostra suis.
81 Atque alii, quorum nostras fama attigit aures,
82 non taceant clari fortia facta ducis.
83 Hic est verus honos, vera haec est gloria, vera
84 praemia, post mortem vivere posse diu.

C1_6 v.1 Diva, cui Cypros insula
 2 paretque Idalium nemus,
 3 hic, pulcherrima caelitem,
 4 nectis floribus herbas ;
 5 succurre hei misero mihi,
 6 benigna o dea subveni,
 7 dum tu gramine in uvido
 8 Magna voce vocaris.
 9 Te postquam sine viximus,
 10 mater blanda Cupidinis,
 11 curae nos subeunt graves
 12 torquent cordaque nostra.
 13 Heu fatum miserabile,
 14 sors et dira necessitas !
 15 Tristem sub tenero miser
 16 flore ducere vitam
 17 cogor : nox aciem premit
 18 atra luminaque impedit ;
 19 torpet, nescio quo modo,
 20 mens in limine primo.
 21 Solvat frigida corpora
 22 mors, umbra Stygios lacus
 23 pallens enatet antequam
 24 tristis vita supersit.
 25 Tu potens puer, aureis
 26 telis et jaculis potens,
 27 terror maximus o deum
 28 fortiumque virorum,
 29 qui spernunt Venerem et tua
 30 regna, age et facem et aurea
 31 in me conjice spicula,
 32 tuos sentiam ut ignes,
 33 sentiam imperium, meae
 34 sentiam dominae fera
 35 jussa : sed potius velim
 36 mitem amare puellam.
 37 Pigris ex oculis sopor
 38 sic absit, vigeat mea
 39 mens pendens dominae e sinu
 40 tristis cedat et angor.

C1_7 v.1 Cum Corni placidae gramine florido
 2 antiquum canerent Naiades genus
 3 arcani, ut liquida voce volans avis
 4 cursus desereret suos,
 5 qui primusque, deo ductus et alite,
 6 arcem optaverit hanc auspiciis bonis,
 7 quique inde in studiis proelio et in truci
 8 clari prodierint viri,
 9 tunc, his carminibus dulcibus et modis,
 10 antro concitus e pumiceo, deus :
 11 "Non deerunt alias tempora idonea

12 claram efferre propaginem ;
 13 nunc - inquit - lepidum dicite, virgines,
 14 Maurum, concinite hunc carminibus virum,
 15 Maurum prima sonent carmina nobilem,
 16 Maurum verba novissima.
 17 Optatissima lux advenit, o deae,
 18 qua Maurum aspicere en dant pia numina ;
 19 docta hunc Pieridum consequitur cohors,
 20 linquens Tibridis alveum.
 21 Gaudete, o nemus, o vallis et intima,
 22 nec non, concilii maxima pars mei,
 23 labens vorticibus : rive, fugacibus,
 24 praerupto imbres tumentior.
 25 Hujus nos opera atque ingenii bonis
 26 insignes erimus, flumina dum petent
 27 ima praerapido gurgite, dum vehet
 28 caelum lucida sidera".
 29 Haec fatus fluvio condidit os sacrum
 30 cornus. Naiades egregium decus
 31 miratae excipiunt plausibus undique et
 32 exsultant monitis dei.

Cl_8 v.1 Dum te Tarvisium tenet,
 2 coryti, altaque moenia,
 3 dum Nymphas celebras Silis
 4 et fontes vitrea unda,
 5 quo te scire velim pede
 6 juvet scribere carmina :
 7 nam desiderio tui
 8 aegra mente laboro.
 9 Interdum aut oculos nigros
 10 causor virginis aureo
 11 sinu, aut poma latentia,
 12 cultos culta per hortos ;
 13 interdum timeo tibi,
 14 dum nimis studio insides,
 15 ne divum atque hominum pater
 16 obsit numine iniquo.
 17 At nos interea gravis
 18 urget febris et enecat
 19 sitisque insatiabilis
 20 torret pectus adustum.
 21 Jam Germania Caesarem
 22 ad nos miserat hospitem,
 23 Magni jam trabe Tilia-
 24 -venti straverat undas.
 25 Hunc Germana phalanx truci
 26 pone lumine subsequens,
 27 Bacche, faucibus aridis
 28 tecum bella gerebat.
 29 Illo me miserum die
 30 febris occupat horrida,
 31 essem quod stomacho, puto, in-
 32 -suetus talia ferre.

33 Decussit Boreas fero
 34 jam flatu arboribus comas,
 35 cauda Scorpius aethere et
 36 ingens saevit ab alto,
 37 ex quo corpora languida
 38 dulcis non reficit quies.
 39 Heu tremor prius imminet,
 40 aestus deinde vicissim,
 41 cum quaerant penetrabile
 42 frigus pellere caeteri
 43 velim praecipitem in caput.
 44 [LACUNE]

Cl_9 v.1 Nec nos ulla dies valebit umquam
 2 reddere immemores tui, nec usquam.
 3 O si post aliquot videre messes
 4 Dii dent et tenera sedere in herba,
 5 cum dicam : "Hic solitus levare questus
 6 atque ignes placidus levare nostros."
 7 quam grato fruar otio et quiete !
 8 At vos interea valete, silvae,
 9 colles, rura, lacus, valete amoeni.

Cl_10 v.1 Et forma aequales superans formosa puellas
 2 Phyllis et ante omnes Palladis arte potens,
 3 nullaque conjugia et nullos perpessa hymeneos,
 4 jam comites linquens, talia verba dedit :
 5 "Turba vale, vita atque oculis mihi carior ipsis,
 6 jam valeas mater et mihi cara soror ;
 7 vos Venus alma juvat. Venerem celebrate, puellae,
 8 insigni et laetas reddite prole domos.
 9 At mihi Palladios habitus artemque colenti
 10 inter Vestales vita sit ipsa choros.
 11 Hujus et, o mihi culta, mei jam pignus amoris
 12 desectos crines accipe, diva, libens".

Cl_11 v.1 Tristia jam liquido cesserunt nubila caelo,
 2 Luce homines Phoebus adjuvat ipse data.
 3 Autumni rediere boni felicia dona,
 4 sunt decori arboribus mitia poma suis ;
 5 vinea maturis gaudet pendentibus uvis,
 6 atque, induta iterum, flore renidet humus.
 7 Jam promissa deo solvamus vota secundo,
 8 cujus opus, pendet vitibus, uva rubens.
 9 Et florentia sarta et cymbia plena feramus,
 10 quod dederit primum vinea nostra merum.
 11 Felix cui Bacchi licet uti numine dextro,
 12 ille miser quem trux aspicit iste deus.

IN OBITU NICOLAI PATRIS

C1_12 v.1 En tibi, tres nati, inferias tibi ducimus, ipsi
 2 lugentes, manibusque piis suprema ferentes
 3 munera, dum patrium comitamur funus ad umbras.
 4 Alme parens, miserande parens, ut tempore acerbo
 5 in tenebris miseros linquis, dum maesta per ora
 6 fundimus et lacrimas et pectora plangimus ipsa ;
 7 tu thalamos totamque domum sobolemque paratam
 8 turpasti tristisque implesti funere luctu.
 9 En mater, vitta crines de more revincta,
 10 ad tumulos, natarum atra stipante caterva,
 11 conqueritur laeditque genas atque unguibus ora :
 12 multisono templumque ululatu atque aethera complent.
 13 Crudeles vocat illa deos, crudelia fata,
 14 quod tibi Parca fero filum interruperit ungue,
 15 quod sibi adhuc volvat fallaci stamine fusum.
 16 Pectore in humano tantum potuere dolores :
 17 quocumque aspicimus, quoquo vestigia maesti
 18 vertimus, ingeminant, ostentant omnia luctum.
 19 Heu quam saeva cito properarunt funus iniquum
 20 Fata tibi, miserande pater, ne commoda nostrae
 21 ulla forent vitae leto super immaturo !
 22 Non secus atque arbor ipso jam robore tuta,
 23 quae teneros fetus ima de stirpe sub auras
 24 sustulit, hos umbra atque ingenti tegmine ab omni
 25 grandine defendit tutos aestuque furenti,
 26 postquam illam curva agricolae evertere bipenni,
 27 nulla tegit teneros umbra vel vertice mater :
 28 non grando, aut aestus parcunt gelidave pruinae,
 29 nec pecus admorsos proscindens cortice ramos.
 30 Sic linquis, miserande pater, sic, undique circum
 31 insidiis clausos gravibus luctuque metuque.
 32 Quid queror ? Ah lacrimas aliis fletumque ministro !
 33 Nec prosunt lacrimae quicquam gemitusve profundi,
 34 nec functi curant lacrimas jam funere nostras.
 35 In tumulo corpus tantum est umbraeque silentes,
 36 post obitum quae quisque suum terrae omnia reddit.
 37 Jam te, sancte pater, tenet alti regia caeli,
 38 unde prius primis venit tibi spiritus auris ;
 39 nec fas, alme, queri lacrimas vel fundere inanes,
 40 cum tot contigerint caelesti commoda sede
 41 felicesque choros celebres et pace fruare.
 42 Interea, pater alme, vale, vale et usque paterno
 43 viventes sine te in tenebris tuearis amore.

C1_13 v.1 Flavi, desine jam jam me rogare
 2 quicquam, carminibus nihil valemus :
 3 sunt merae omnia nugae ineptiaeque.
 4 Vos mecum interea meos amores,
 5 vos mecum teneras meas puellas,
 6 Musae, dicite, dum severiorum
 7 vitetisque oculos, manus et aures.
 8 O si carminibus meis puellam

9 vincam, ne renuat preces superba !
 10 Ne, Musae, atque manus severiorum
 11 iudicum atque oculos timete et aures.
 12 Tunc vos Flavium adhibitis, frequentes :
 13 tunc vos, tunc lepidae et simul facetae
 14 nostro gaudia nuntiate amico.
 15 Hanc Phoebus properet diem nitentem,
 16 haec finis mihi sit meum laborum ;
 17 hanc ego haud celebraverim sat unquam,
 18 nec queant minimum referre laudis,
 19 laudent carmina nostra vel trecenta.

Cl_14A v.1 Per colles montesque, volens, perque invia saxa,
 2 aucupii et volucrum captus amore, feror,
 3 nec sum adeo falsa spe vel deceptus inani :
 4 praeda avium retuli sed gravis inde pedem.
 5 Sit satis, o Satyri, me multa laude precatum
 6 vos, boni in aucupio quod mihi fertis opem.
 7 Partem aliquam volucrum ferat ast Abstemius : uni,
 8 uni ego pro meritis debeo plura suis.
 9 Juppiter, o mea vota libens quin rite secunda,
 10 ut memorem melius me sciat esse sui.

ORNITUS

Cl_14B v.1 Ite greges, tuti per summa cacumina montis
 2 pascentes, rupesque altas de more, capellae,
 3 scandite, virgultis nec morsu parcite frondi ;
 4 jam licet ingentes umbrosa cacumina lucos
 5 et montem herbosum lustrare impune juvenci :
 6 nam tandem insidiis vestrum prostravimus hostem.
 7 Interea volucres cantu viscoque tenaci
 8 decipiam, Satyri faveant, sub numine quorum
 9 ars est, exiguas dum sol contraxerit umbras.
 DAMON
 10 Carpe fugam, infelix pecus o miseraeque capellae,
 11 tuque greges, custos, ducas, canis optime Lygdon,
 12 qua nullos pecudum balatus audiat hostis.
 13 Jam patrios fines dulcesque relinquere terras
 14 cogimur, externasque domos et ovilia, maesti,
 15 quaerimus : haec nobis fert ecce incommoda miles.
 ORNITUS
 16 Quo properas Damon ? Quae te, quae maxima cura
 17 exercet ? Fletu indulges maestisque querelis :
 18 jam mens ipsa metu trepidat, cum pascua quaeras
 19 externa, insuetus solitis excedere campis.
 20 Dic, Damon, nec me suspensum corde teneto.
 DAMON
 21 O felix, qui mane novo praesepibus altis
 22 armenta et laetas pecudes ad pascua ducis :
 23 nunc scio quam dulce est validis patria arva juvencis
 24 vertere, vicinis armenta et pascere silvis.

25 Sed migrare alio jam vis aliena coegit,
 26 ut cernis, vixque has e multis ipse capellas
 27 subdixi paucis furtim lactentibus haedis ;
 28 caetera, quae brumae nos ante paravimus usu,
 29 perdita jam duco, manibus lacerata nefandis.
 30 Parva loquor : "Jactura movet non me, Ornite, tantum.
 31 Eheu pastorum princeps bonus, ille Menalcas,
 32 quem novit quicumque boves ad pabula ducit,
 33 in medio armorum strepitu et clangore tubarum
 34 restitit, et patriae et pastorum ductus amore
 35 ante habuit propriis pastorum commoda rebus.
 36 Nos vero, incassum patriis traducere ab oris
 37 conati, tandem fugientes linquimus illum :
 38 haec certe est lacrimarum et nostri causa timoris.
 39 Heu male militibusque feris, male creditur armis !
 40 Nosco minas, nosco ferro quam dextera prompta est".

ORNITUS

41 Haec equidem haud umquam mala vos urgere putavi,
 42 quamvis saepe alta corvus de rupe sinister,
 43 insolitum fundens ales per guttura carmen,
 44 nescio quid maestum jam tum impendere monebat.
 45 Sed cythisum fugerent pecudes prius ipse putassem
 46 atque apis halantes flores frondesque capellae,
 47 mala ferant steriles duris in montibus orni,
 48 Piscis in aérias se squamiger inferat auras
 49 quam turbo instarent vobis dirique tumultus.
 50 Dic tamen, haec pestis vestris unde ingruit agris ?

DAMON

51 Audisti regem egregium, qui nomine Caesar
 52 fertur, Germanos rapidum et penetravit ad Istrum
 53 communem ut tandem depelleret Alpibus hostem.
 54 Hic, postquam Turcam virtute refregit et armis,
 55 Alpinas fauces et pervia claustra petivit
 56 et fines tandem toto cum milite nostros :
 57 haec est causa fugae. Quamvis est optimus ille
 58 injussuque suo patiamur damna tot ipsi.

ORNITUS

59 Vos equidem miseror, vobis quod pessimus annus
 60 hic sit. Quod possum, stabula et praesepia, Damon,
 61 promitto : pecora hic claudemus sepibus ambo.
 62 Nulla lupum metuat pecus aut sub matribus agni,
 63 in foveas tandem incautum dejecimus illum
 64 turbaque pastorum jaculis confodit acutis.
 65 Castanae haud deerunt, deerit non copia lactis,
 66 mitis pendet adhuc et quae de vitibus uva ;
 67 et volucris pastu decedens arva relinquit,
 68 roris nocturni et canae praesaga pruinae,
 69 jam nemora alta petit dulcique aviaria cantu.

C1_15 v.1 Salvete, o patrii Lares,
 2 vos silvae et gelidi lacus,
 3 salvete, alta cacumina
 4 montium atque recessus.
 5 Vos tandem liceat mihi ut,

6 post tot longa pericula,
 7 post casus pelagi graves,
 8 fruar, suave quiescens.
 9 Hoc est vivere, vivere
 10 in dulci patriae solo,
 11 ludentem in roseo sinu
 12 carae conjugis usque.
 13 Olim linquere patriam,
 14 discendi studio exteros
 15 mores et populos, mihi
 16 mens ardebat amore ;
 17 at nunc ut per agros placet
 18 vagari, inter ut uvidas
 19 herbas, dum steriles bonis
 20 jungo vitibus ulmos.
 21 Quam libet lepores sequi
 22 auritos strepitu, canum
 23 cinctus agminibus, dolosque
 24 inter retia et urgens ;
 25 interdum volucres juvat
 26 certa aut figere arundine,
 27 aut per rura virentia in-
 28 -cautas fallere visco.
 29 Ille, divitiis potens,
 30 auratas habitet domos,
 31 tristes qui pluvias potest
 32 perferre et mare saevum,
 33 rus ego at placidum sequar,
 34 curis liber ab omnibus,
 35 contentus patriis bonis,
 36 dum vivam inter amicos.
 37 Et cum frigida corpora
 38 linquet spiritus et vigor,
 39 fuis Cynnama me comis
 40 mandet cara sepulchro.
 41 Illo e funere non erit
 42 qui me non, miserans, fleat
 43 dicatque : "Hic teneri fuit
 44 miles semper Amoris".
 45 Felices animae, quibus
 46 sedes Elysium est nemus,
 47 hoc concedite, mi, choros
 48 inter esse beatos,
 49 si te, Cynnama, concinens
 50 laudavi otia ruraque,
 51 curarum aestibus et procul
 52 vivens crimine ab omni.

C1_16 v.1 Dedicat haec, Sylvane, tibi venabula Lygdon,
 2 nam studia invitus deserit illa senex.
 3 Dum solidum fuerat robur, tua saepe cupressus
 4 ursorum exuvias muneraque ampla tulit.
 5 Saepe canum silvas lustrantem vidit Eous
 6 agmine, saepe Hesper, jam fugiente die ;

7 nunc satis est, annis fessus tristique senecta,
 8 si stabulis fures arceat atque lupos.
 9 At tu, dive, senem non umquam mitte tueri,
 10 per nemora ut tutus pascat, ut ante, greges.

C1_17 v.1 Ordine jam sacrae Augusti rediere Calendae,
 2 quem celebrem patres instituere diem.
 3 Adsitis, juvenes, adsint teneraeque puellae,
 4 urbe magis tali tempore rus placeat.
 5 Non quisquam jungat domitos ad plaustra juvencos,
 6 non quisquam curvo vomere vertat humum :
 7 cesset opus, valeant curae valeantque labores,
 8 et queruli a nobis sint procul usque senes.
 9 Hoc quicumque die Bacchum celebrabit aperte,
 10 perfusus molli tempora vincta mero ;
 11 illi felices menses, illi fluet annus
 12 laetus, nam fieri sic jubet ipse deus.
 13 At qui non merito numen dignatur honore,
 14 sponte sua fugiens orgia sacra dei,
 15 respuit iratus torvaque hunc fronte repellit :
 16 tum gravis a magno poena timenda deo est.
 17 Perditus, ille fleat, vento percussus et imbri,
 18 ad dominae clausas nocte silente fores,
 19 nec veniente die miserum quies alma revisat,
 20 nec fugiente eadem corpora fessa sopor.
 21 At tu, Bacche, veni, fuis per colla capillis,
 22 carmine te incompto rustica turba vocat :
 23 nos majora tibi dabimus cum rusticus uvis
 24 impleritque lacus doliaque ipsa mero,
 25 pampineaque caper velatus tempora fronde
 26 mox sacer, effuso sanguine, tinguet humum.

C1_18 v.1 Felices plantae, nemorum dulcesque recessus
 2 antraque in aestivo saepe petita die,
 3 Phyllis ubi, incassum multis optata, resedit
 4 et mihi dat primas, facta benigna, rosas.
 5 Pauper ego, haud umquam pro tali munere ferre
 6 digna queam vestris laudibus ulla, Mycon.
 7 Hic quicumque meos olim percurreret amores,
 8 aut errore viae aut ductus amore loci :
 9 "Felices plantae - dicat - fontesque perennes,
 10 sol alat o semper vosque benigna soror,
 11 at faciles, Nymphae, pastorum avertite falces,
 12 pellite lascivos fontibus atque greges".

C1_19 v.1 Quid fletis, miseri ? Quatit is quid pectora pugnis ?
 2 Non lacrimae quicumquam ferrea corda movent.
 3 Sola ego, cum placidam speratis ducere vitam,
 4 non exspectato vellera dente seco.
 5 En hic perpetuo muro sibi clauserat agrum,

6 illic cuncta putans forsitan esse bona.
 7 Solus, dum licuit per me, sine conjuge vixit,
 8 solus, et horrentes nunc petit umbra lacus.
 9 Unum hoc objicitur tantum : quod vulnera docti
 10 nostra valent longum vincere scripta viri.

C1_20 v.1 Sancta Venus, superum decus immortale deorum
 2 atque hominum semper dulcis et alma quies,
 3 te dea te Aprilis veneror mihi magna Calendis
 4 imbuit et sacros alba columba focos.
 5 Luce genus vitae hac durum prius ipsa reliqui,
 6 addixi aeternum me tibi resque meas.
 7 Ex illo quod diva mihi cursum alma secundas,
 8 propria erunt tali munera mense tibi.

C1_21 v.1 Has nigras tibi, nox, pecudes, tenebraeque silentes,
 2 mactat Acon vobis, rustica liba ferens.
 3 Carior o solis radiis mihi, carior ipsa
 4 luce, quies, curis quae data es una meis.
 5 Si te furta juvant Veneris, si gaudia amantum
 6 dulcia, dum cupide basia utrimque sonant,
 7 affer opem, bona nox, furvis velata tenebris,
 8 gaudia dum properans ad sua fertur Acon.

C1_22 v.1 Summe deum, caeli reseras qui limina, custos,
 2 claudis et horrenti pervia rura gelu,
 3 Daedalus, Ionii heu frustra servatus ab undis,
 4 invitis fugiens regna superba deis,
 5 marmoreis tibi constituit pia templa columnis,
 6 collocat et summo remigia ipsa tholo,
 7 haec ut, Phoebe, tuum cunctis testentur honorem
 8 utque eadem luctus sint monumenta mei.

C1_23 v.1 Quae liquidum obducis subita caligine caelum,
 2 horrisono involvens aequora salsa Noto,
 3 Parce, dea, insanas te nunc attollere in iras :
 4 littore me Veneto gaudia mille manent.
 5 Tuque, Aquilo, si ficta tuos non fabula amores
 6 edocet, immisso flamine, pelle ratem.
 7 Parva manet factum posthac non gratia tale,
 8 cum primum attigerint littora curva pedes :
 9 Dive, tibi niveam mactabit Lygda bidentem,
 10 nigra tibi manibus concidet alma meis.

C1_24 v.1 Furta paras quaecumque meis jam, femina, in hortis,
 2 ipsa volens fructus et mihi ferre tuos.

3 Abstineas, moneo, non quicquam talia curo
 4 munera, de Stygiis lecta videntur aquis.
 5 At mihi quae roseis offert puer aurea palmis
 6 nimirum, ut superis sedibus orta, placent :
 7 Ergo poena manet gravior te, femina, inique
 8 si facies, puerum munera larga manent.

DIVO GEORGIO

C1_25 v.1 Dive, meis es qui praeses placidissimus annis,
 2 qui mihi das vitae lumine posse frui,
 3 post decimum nonus jam praeterlabitur annus,
 4 cum pia mi mater ubera prima dedit.
 5 Florentes igitur, pro tempore dona, coronas
 6 afferimus sanctis et pia thura focus ;
 7 suscipe, dive, libens : crescent, crescentibus annis,
 8 natali fuerint quae tibi certa meo.

DIVO PETRO

C1_26 v.1 Dive patris summi qui moenia celsa tueris,
 2 limina qui reseras claudis et ampla poli,
 3 dum perlustrat oves septis Pharnesius altis,
 4 divina pastor relligione potens,
 5 spectatum summo jam nunc delabere Olympo,
 6 si tibi, ut assuerunt, templa dicata placent.
 7 Ipse vocat, sanctus divino numine pastor,
 8 ipsi etiam invitant ad pia sacra greges.

AD FABRITIUM COLLORETANUM

C1_27 v.1 Te dumosa tenent aestivo tempore rura,
 2 Colloretanis rura beata jugis,
 3 fecundae agricolis felix ubi copia messis,
 4 nec capiunt pleni dulcia musta lacus.
 5 Luxuriant passim virides armenta per herbas,
 6 pabula queis semper sufficit alma Pales.
 7 Hunc proavi quondam, longis erroribus acti,
 8 optavere sibi familiaeque locum,
 9 ut clarum studiis genus et fulgentibus armis
 10 hinc foret, auspiciis numinibusque bonis.
 11 Quae, tacitus, versas tecum, noctesque diesque,
 12 ante oculos ponens fortia facta patrum ;
 13 ast ego blanditiis dominae teneorque catena,
 14 regnat et in nostro pectore semper Amor :
 15 incautum nigris me Delia cepit ocellis,
 16 perfida, me lenta detinet illa mora.
 17 Interea numeris longos cantamus amores,
 18 nitimur et crebra corda movere prece,
 19 ferrea at illius tam pectora dura moventur

20 horrida quam cautes percutiente Noto.
 21 Pierides, frustra vestros libavimus amnes,
 22 frustra elegis canimus tristia verba modis.
 23 Et Vanci loca sola et vallis gramina testis
 24 laetaque Meduacus flumine prata secans,
 25 cum resonant miserum suspiria longa trahentem,
 26 nec potis ardentem est unda levare sitim,
 27 una meis tantum nympha officiosa querelis,
 28 quaeque meos gemitus adjuvat ipsa suis.
 29 Salve, Echo, meritos tibi, matutinus, honores
 30 ipse pia spargam dulcia liba manu ;
 31 Te quondam simili laeserunt numina flamma,
 32 cum pueri toto pectore ab igne furis :
 33 illum per rupes perque horrida saxa vocabas,
 34 adveniente simul jamque abeunte die,
 35 donec, post miseros gemitus longasque querelas,
 36 vox superest, anima corpus inane perit.
 37 At mihi nec duros leto finire dolores,
 38 nec licet instantis solvere vincla dei.
 39 O utinam tecum, Fabriti, caerula nassem
 40 aequora, cum plenis sunt data vela Notis.
 41 Nulla quies, diversa manus dum munia obiret,
 42 ejicerent donec pectora nostra deum.
 43 Nam seu carminibus fictis viscoque tenaci
 44 deciperem volucres frondibus ipse latens,
 45 seu leporem in positos strepitu deducere casses,
 46 Gallica seu mallet solvere colla canum ;
 47 interdum, frigus captans, in valle reducta,
 48 edam disparibus carmen arundinibus :
 49 eheu, non nostros lenibunt ista dolores,
 50 quicquid agam, forti sed renuente deo.
 51 Parce graves, Cytherea, in me torquere sagittas,
 52 in cinerem jam nunc ossa perusta ruunt.

C1_28 v.1 Phoebe, decus vatam Musarumque optime custos,
 2 qui reparas passim lumine cuncta tuo,
 3 ille Valentinus, nostri pars maxima ruris,
 4 dive, tibi carus Pieridumque choris,
 5 dedicat hanc laurum, ingenti de matre revulsam,
 6 quam veniente rigat, quam fugiente die.
 7 Tu teneram tollas, nec longo tempore, in auras,
 8 arboris antiquus ni tibi cessit amor.
 9 Hinc viridi vatis cingantur tempora fronde,
 10 hinc sacra Pieridum tutior antra colat.

C1_29 v.1 Fugit hiems, fugit glacies, fugere rigores,
 2 adventus placidi suavis adest Zephyri.
 3 Liquitur in summo nix alba cacumine montis
 4 vicinosque agros flumina curva tenent ;
 5 vere novo, tellus, solitos complexa calores,
 6 quas pariat tandem parturit, alma, rosas.
 7 Non, Borea spirante, greges retinentur ovili,

8 non residet pastor lentus, ut ante, focis ;
 9 Rusticus, hiberno quos frigore praetermisit,
 10 in proprios usus, conterit ipse diem.
 11 Omnia laetantur, silvaeque et mollia prata
 12 invitant ruris commoda mille sequi.
 13 Solus ego, in curas intentus semper acerbas,
 14 nulla queo veris noscere signa boni :
 15 non prosunt Zephyri, non prosunt florida rura,
 16 garrula non casus flens Philomela suos,
 17 sola mihi aeternos luctus praesagit hirundo,
 18 dum caesum mater impia plorat Itim.
 19 Nam pariter tristes hiemes aestasque sinistra
 20 ducitur assidue sub dominae imperio :
 21 humescunt lacrimis oculi, suspiria semper
 22 abrumpunt miseris pectora pulsa modis.
 23 Flora, mihi causa est, uni mihi acerba puella,
 24 cui dederunt nomen florida prata decens :
 25 heu frustra, non illa boni me commoda ruris
 26 carpere, non gratas haec sinit esse rosas.
 27 Illa jubet tristem crudeli vivere in urbe,
 28 cum foliis silvas frigida nudat hiems,
 29 cumque virescentes Zephyrus percurrit in agros
 30 et nos cum calido afflavit ab ore Notus.
 31 Te genere Alpes saxoso in vertice durae,
 32 ursa feris tibi lac praebuit uberibus.
 33 Me flentem silvae resonant montesque nivosi
 34 atque iterant gemitus flumina curva meos.
 35 Nulla latet silvis durove in cortice virgo,
 36 nulla premit jaculis per nemora alta feras,
 37 quae nostros dudum miseros non noscat amores
 38 descriptos passim carmine in arboribus.
 39 At tu crudelis rides mala nostra ; revincta
 40 ferreus obducit pectora dura rigor.
 41 O quoties atrae terrent me insomnia noctis !
 42 O quoties pavido rumpitur alma quies !
 43 Haec mihi dicebant vates, hoc augur Apollo,
 44 hoc etiam infelix saepe canebat avis ;
 45 sed mens, stultitia, fraudes non vidit apertas,
 46 me quibus exceptum ferreus urget amor.
 47 Tum decuit casus primum metuuisse nefandos,
 48 aspera cum laqueis vincla tetendit Amor.
 49 At tu, sancta Venus, si non regionibus illis
 50 exul abest pietas, nunc, precor, affer opem ;
 51 Ipse tibi niveis velatus tempora vittis,
 52 dona feram templis, ut decet, ampla tuis.
 53 Nescio quid tamen est, tristis nam desinit esse
 54 mens : haec laetitiae sint bona signa meae.

AD FABRITIUM COLLORETANUM

C1_30 v.1 Fabricius mihi Pierio quae misit ab antro,
 2 aurea non segni munera lecta manu,
 3 digna bonis etiam Varii sunt auribus illa,
 4 vel quicumque alius carmina docta legat :

5 Musarum e vitreo nam duci fonte videntur.
 6 Queis Glycerae dulcis concilietur amor,
 7 at me quod tali non dedignatus honore est,
 8 Fabricium haud equidem munera parva manent.

AD DIVUM GEORGIUM, DE NATALI SUO

C1_31 v.1 Exspectata dies, revolutis mensibus anni,
 2 sacra redit primum numine, dive, tuo :
 3 jam Taurus nitidis occultum cornibus ignem
 4 spargit et omnifero semine cuncta replet,
 5 unde tumor terris, unde est nova gloria campis.
 6 Induit et densas arbor opaca comas,
 7 omnia laetantur, properat jam picta volucris
 8 exiguas natis extruere arte domos.
 9 Hunc mihi natalem socii celebrate frequentes,
 10 quem valeat morem tollere nulla dies :
 11 Tura date et templi postes ornate coronis,
 12 dum chorus alternis concinit acta dei.
 13 Ut teneris nondum deus hic egressus ab annis,
 14 Serpentem supera trajicit auctus ope,
 15 terribilis pestis vulnus letale parabat,
 16 dentibus infrendens, regia virgo, tibi.
 17 At non ulterius passus procedere monstrum,
 18 guttura sed jaculo fixit aperta gravi :
 19 tum sensere homines supera de stirpe creatum,
 20 et tibi tum meritus, dive, refertur honos.
 21 At tu dexter ades, Caesar, dum maximus arma
 22 pro vera in Turcas relligione movet,
 23 unde iterum redeant felicia saecla per orbem
 24 et bona pax urbes grataque rura colat.
 25 Otia Musarum subeant et Apollinis artes,
 26 non oleae inventrix sit sine honore dea ;
 27 utque sub Augusto quondam fera bella quierunt,
 28 Caesare sub magno sic erit alma quies.

IN OBITU SUSANNAE PUELLAE

C1_32 v.1 Flete diu juvenes, tenerae lugete puellae,
 2 hic decus, hic ingens gloria vestra jacet :
 3 jam feret exstinctas lacrimis Cytherea facellas,
 4 jamque pharetratus tela retundet Amor.
 5 Improba mors, divum atque hominum crudele venenum,
 6 qua miseranda jacet ante puella diem.
 7 Parcite jam lacrimis, juvenes teneraeque puellae,
 8 Elysiis fruitur virgo beata locis.

DE FRANCISCO BRACIACO, FULMINE ICTO

C1_33 v.1 Dum, Francisce, aliis profers, justissime, vitam,

2 te rapuit mors, heu semper iniqua bonis.
3 Fulmina furata est invito dira tonanti :
4 ne pietas, neu lux talis in orbe foret.

RAYMUNDO TURRIANO, EQUITI NOBILISSIMO

C1_34 v.1 Dum monumenta paras clarosque ex hoste triumphos,
2 invidit tibi mors ensem, calcaria et aurum,
3 Raimunde, ut victrix de te victore triumphet.

C1_35 v.1 Phoebe, Musarum pater atque princeps,
2 qui refers nobis adimisque lucem,
3 fessa mortalis reparans diurno
4 membra labore,
5 si tui cordi tibi adhuc poetae
6 et placet cantus citharae sonorae,
7 qua tuos olim cecinisti amores
8 carmine dulci,
9 hunc manu docta juvenem per altum,
10 qua patet gressus facilis cacumen,
11 duc, ubi dictans numeros sororum
12 turba quiescit.
13 Hic Zenus quondam fidibus canoris
14 te canet laurumque tibi dicatam,
15 tum decus Musis erit abluisse
16 gurgite sacro.
17 Dum ter exorat precibus Cichinus,
18 antra Parnasi quatiens Apollo
19 et sacram laurum placidus sereno
20 annuit ore.

C1_36 v.1 Carmine dum Zenus innumeris me laudibus ornat,
2 ingenii ostendit munera larga sui,
3 sed me, quod tali nimium feror altus honore,
4 securum his dictis increpat alma Venus :
5 "Quid tibi caelestum summos ascribis honores,
6 improbe, nec Veneris regna superba times ?
7 Mox facibus pavidos certoque Cupidinis arcu
8 deducam vinclis teque Zenumque tuum".
9 Parce Venus tibi, sic posito Mars serviat ense
10 et lateant semper dulcia furta virum.

C1_37 v.1 Moenia te retinent altis circumdata fossis,
2 barbarico quondam moenia facta duce :
3 hic veterum assidue versas monumenta virorum,
4 quae numeris arcta vel sine lege canunt.
5 Scilicet hac, Alphonse, putas ratione futurum,
6 ut pateat clarae laudis aperta via.

7 Gaudeat hinc patria, exsultent laetique parentes,
 8 quod dederint vitae lumine posse frui.
 9 Interea Musas et Phoebi numen adora,
 10 ut liceat celeri carpere summa pede.
 11 Ipsa Venus comitem exoptat te adungere nato,
 12 assurgit Veneris laetus utrique chorus.
 13 Nec mirum : nam par aetas, formosus uterque,
 14 telaque ad aurata promptus uterque manu.
 15 Parce tamen calamis certoque Cupidinis arcu,
 16 ille oculis caecus, Lynceus ipse fores.
 17 Nec tamen exsultes nimium dignatus honore
 18 divino, Veneris numina magna timens.
 19 Ira deum quam sit tristis mortalibus aegris.
 20 Narcissi cunctos impia fata monent :
 21 ille puellarum semper delusit amores
 22 et juvenum, donec captus amore sui est.
 23 Crudeles nimium sortes, crudelia fata !
 24 Flebat inops, inopem copia larga necat :
 25 tum gemitus iterans tandem noctesque diesque
 26 flos moriens oritur margine dulcis aquae.
 27 Ah superi prohibete nefas, servate benignum,
 28 ne pueri immeriti me quoque fata trahant,
 29 sive lapis fiam, sive Echo in montibus altis,
 30 e fletu aut vitreis fons orietur aquis.
 31 Omina at haec rapidi jactent Eurusque Notusque :
 32 sint procul hinc curae, sint sine nube dies.

C1_38 v.1 Tempus ad hoc alta divi Danielis in arce
 2 detinet imperio me Cytherea suo ;
 3 Euganeas studio redeundi rursus in oras,
 4 mens mea jam pedibus carpere jussit iter,
 5 ut, dum jura sequor Patavi legesque severas,
 6 sollicito fugiat pectore pulsus Amor :
 7 iratus sed enim, quod signa relinquere vellem
 8 in me acuit Veneris aurea tela puer.
 9 Collibus in patriis moror ergo et sede paterna,
 10 exoriens ubi suspiria prima dedi.
 11 O valeat cuicumque animo sententia sedit
 12 esse pharetrati numen inane dei,
 13 nec Venerem vinclis mortalia corda tenere,
 14 verum homines stultos hanc coluisse deam.
 15 Tende Cupido arcum plenamque exerce pharetram,
 16 nam te victorem gloria rara manet ;
 17 respuat hos surda miseros virgo aure precantes,
 18 corda nive hiberna frigidiora gerens.
 19 Nec prosint citharae sonitum comitantia verba,
 20 nec pateat querula janua victa prece :
 21 me vero, quod grata libens sequor otia, ad urbem
 22 Utineam tenera duc, precor, ipsa manu. ('Utineam': actuelle Udine)
 23 Hanc statuit quondam, magno cum numine divum,
 24 Attila barbariem deposuitque feram.
 25 Haec sedes est certa tibi matricum benignae,
 26 posthabita et Cypro posthabitaque Papho,
 27 hic utinam, quodcumque meis dant fata diebus,

28 contentum placida vivere sorte velint.
 29 Non ego bella canam, aut acies in proelia ductas,
 30 Cynnama sed nostro semper in ore sonet.
 31 O utinam superent mordacia tempora versus,
 32 ut tua post cineres fama perennis eat,
 33 utque diu vixit numeris celebrata Tibulli
 34 Delia, sic nostris Cynnama dicta modis :
 35 vincula nec valeant Parcae dissolvere at umbrae
 36 Elysios repetant una eademque die.
 37 Hoc precor, hoc dederint caelestia numina nobis,
 38 vel fleat ad tumulum Cynnama cara meum.

Cl_39 v.1 Magna deum genitrix, qui sidera clara tuentur,
 2 quaeque hominum soboli diceris esse parens,
 3 huc age felici cursu tua Dindyma linquens
 4 Idaeasque arces, maxima diva, veni.
 5 Agrestes Siculi celebrant in litore sacra
 6 et Phrygiis resonat tibia pulsa modis ;
 7 haud equidem credo esse tibi fastidia nostri
 8 bellaque in aeternos velle movere deos.
 9 Aetna iterum flammis longo post tempore volvit
 10 fumantesque globos sidera ad alta vomit
 11 pondera et Enceladus maerens gessisse tot annos,
 12 dum quatitur passim littora curva tremunt.
 13 At quondam, si vera tamen famam attigit aures,
 14 moverunt hominum te, dea magna, preces :
 15 nescius heu sortis Phaeton, dum fata lacessit,
 16 sidereas optans scandere posse rotas,
 17 quadrijugos puer insuetis calcaribus urgens
 18 tellurem exussit, non bene doctus iter.
 19 Tum primum referunt ustos gessisse capillos
 20 Nereidesque imo delituisse mari :
 21 aret ager, sicca aufugiunt per rura Napaeae
 22 praecipitique petunt antra reposita metu ;
 23 Juppiter at cernens fumantia viscera matris,
 24 commiserans, ignes igne micante premit.
 25 Illa sed est medicina malis contraria nostris,
 26 ne pereant rapido fulmine si qua manent.
 27 Juppiter omnipotens, optatae conjugis oro
 28 per gremium labens nubila densa feras :
 29 nam potes immensum tenebris obducere caelum
 30 et potes obscurum luce aperire data.
 31 Tu quoque, si merito templum decoramus honore,
 32 affer opem alitibus, Cypria, vecta tuis :
 33 hic Erycis cinis Anchises fatisque quievit,
 34 Itala dum peteret regna, jubente deo.
 35 Quod si forte malas in nos jam suscitatur iras
 36 Vulcanus, mulcens basia junge viro ;
 37 nos tibi perpetuos laudes dicemus in annos,
 38 nec divis aliis gratia major erit.
 39 Ne trepidate metu, Siculi, jam ponite curas :
 40 placati dederunt nam bona signa dei.
 41 Jam qui cessabas, suspensus numine divum,
 42 justa sagittiferis bella movere Scythis,

43 Caesar, securo animo : comitatur euntem
 44 sanguineo Mavors hostibus ense minax.
 45 Classe mari expellas terraque hos milite forti,
 46 alitibus praedam Caucaseisque feris.
 47 O qui rarus honos manet, o quae gloria, Caesar,
 48 cum trahet evinctos longa catena duces.
 49 Tum cupidi aeternis inscribere nomina chartis
 50 certatim vates te, pia turba, canent.
 51 Tum liceat tandem expulsam revocare quietem,
 52 tum vigeat Pallas, Mars valeatque furens.

HYMNUS IN DIVAM CATHERINAM

C1_40 v.1 Quae colis sacri juga celsa Pindi
 2 quaeque Parnasi vitreis in undis
 3 ludis heroas veteres canendo,
 4 turba sororum,
 5 huc ades coeptis faveasque nostris
 6 et mihi mentem, mihi verba dones,
 7 virginis castae ut valeam referre
 8 carmine laudes.
 9 Non ego ardentem Veneris facellas,
 10 non canam nati volitantis arcum,
 11 quo Jovem terras trifido relicto im-
 12 -pellit ad imas.
 13 Alme sol, cursum es quoties moratus,
 14 virgo dum occurrit nitidis ocellis,
 15 tum fere oblito cecidere habenae
 16 vertice equorum.
 17 Luna, fraternis radiis relucens,
 18 virginum coetus quoties revisis
 19 pulchrior visa est, comitum aut tuarum
 20 castior ulla ?
 21 Namque fulgebat roseo colore,
 22 quam sequebantur Charites decentes,
 23 ac velut summo micat inter astra
 24 Lucifer ortu.
 25 Longe at ornatus fugiens protervos,
 26 molle et auratis trabibus cubile,
 27 pondera auri posthabuit pudori
 28 regia virgo.
 29 Carcerum densae tenebrae situsque,
 30 compedum vincla aenea, nec catenae,
 31 nec Ceres dempta huic valuit pudicam
 32 flectere mentem.
 33 Illa, divinum retinens amorem,
 34 regios luxus epulasque temnit,
 35 nuntius divum ambrosia hancque dulci
 36 nectare pavit.
 37 Quis furor mentem rapuit malignam,
 38 Caesar, indigne populi imperator,
 39 pectore ut toto tenerae puellae
 40 damna requiras ?
 41 At tibi accurrunt facibus tremendis,

42 quae rotam texant Furiae irruentes,
 43 Cerbero ut praedam rapiant recenti
 44 caede tuorum.
 45 Quae tua armavit, dea, corda virtus
 46 cum vides leti omne genus paratum ?
 47 Non calor totis penitus medullis,
 48 virgo, recessit ?
 49 Corporis spernens sed enim dolores,
 50 mente jam complexa deos et astra,
 51 spiritum caelo, unde prius recepit,
 52 reddidit alto.
 53 Virginum salve decus atque custos,
 54 te canent nostri numeri quotannis,
 55 aurea templum venerabimurque
 56 thuris acerra.
 57 Tu, quies cum extrema oculos tenebit,
 58 ne lacus umbra et Stygiam carinam
 59 horreat, sanctam, dea casta, nobis
 60 porrige dextram.

HYMNUS IN DIVUM NICOLAUM

Cl_41 v.1 Jam polo tristes pluviae recedunt,
 2 Delius laeta nitidus juvena,
 3 aureos currus moderans, pererrat
 4 lampade terras.
 5 Cuncta laetantur : pecudes feraeque
 6 deserunt lucos latebrasque opacas,
 7 concinit dulci modulamine ales
 8 arbore ab alta.
 9 Unde tempestas oritur repente ?
 10 Hanc deus nos respiciens Olympo
 11 misit, ut festo sine nube agamus
 12 tempore lucem.
 13 Dicite hunc mecum, pueri et puellae
 14 et tori expertes Venerisque blandae,
 15 quae procul mentem geritis pudicam
 16 crimine ab omni,
 17 virgines tu conjugio maritas,
 18 lucra ne et turpem Venerem sequantur,
 19 sed bona reddant hilares parentes
 20 stirpe nepotum.
 21 Integris praefers puerisque lumen,
 22 ne pedes noctem metuantque sentes,
 23 summa dum cursu properant citato
 24 scandere montis.
 25 Navitas undis mediis volutos
 26 eripis leto miseros nefando,
 27 naufrago pisces prohibesque edaces
 28 viscere pasci.
 29 Dum madens Auster Boreasque praiceps
 30 gurgites fundo evoluunt ab imo,
 31 aequora iratis agitata ventis
 32 sidera tangunt,

33 Dive, sed puro veniens Olympo
 34 temperas fluctus aperisque lucem,
 35 vota nec frustra pateris precantum
 36 ire per auras.
 37 Illi, ut optatos tetigere portus,
 38 rite te donis venerantur amplis :
 39 at notat suspensa tholo periculum
 40 picta tabella.
 41 Denique exaudis juvenes senesque,
 42 candida qui te coluere mente,
 43 nec manus diras metuunt latronum aut
 44 impia furta.
 45 Optime o divum celebrande passim,
 46 qua pater pandit radios Apollo,
 47 quem dat humano generi patronum
 48 Juppiter ipse.
 49 Nos, avi ut quondam statuere nostri,
 50 sacra dum supplex peragit sacerdos,
 51 thure dumque arae recalent, feremus
 52 annua dona.
 53 Quem colant ritum memores nepotes,
 54 saeculis nec longa dies futuris
 55 demat, ut tuti placidamque vivant,
 56 te duce, vitam.

DAPHNIS AEGLOGA

C1_42 v.1 Pastores, colitis ripas quicumque Timavi,
 2 quaque fluit tacito Lipientia gurgite pinguis,
 3 ducite de pleno pecus in nova pascua ovili.
 4 Ver tepidis properat Zephyri comitantibus auris
 5 induit et vario pubentia prata colore :
 6 jam choreas Nymphae faciles per gramina ducunt,
 7 intonsos crines cinctae florentibus herbis,
 8 interea Lycidas carmen cantabit ad auras,
 9 Tiliaventeas Ledra qua defertur in undas.
 LYCIDAS
 10 Jam tandem optatam lucem dat Phoebus Apollo,
 11 Phyllidis ut casti primum jungantur amores.
 12 Ergo te e multis Phyllis pastoribus unum
 13 conjugio anteferens Daphnim dignata maritum.
 14 Inflatum tantum calamique et carmina prosunt :
 15 nunc vero Utineam Daphnim comitemur ad urbem.
 16 Laetitiaque omnes cingantur tempora ramis
 17 populeis, buxumque ferant laurosque virentes.
 18 Primus, ab externis veniens regionibus, artem
 19 Daphnis arundineam docuit desuetaque longo
 20 tempore Musarum monstravit carmina nobis,
 21 postquam, aequor tumidum errores longosque perosus,
 22 collibus in nostris patriaque in sede quievit.
 23 Nec vero contemne agros et sordida rura,
 24 nec linquas invita urbem urbanosque tumultus :
 25 hic vitrei exsurgunt florenti margine fontes,
 26 hic fluvii valles decurrunt inter opacas.

27 Quam juvat aestivo, venit cum torrida messis,
 28 tempore, graminibus viridi et requiescere in umbra
 29 carpentem somnos rauca suadente cicada !
 30 Quam juvat, arenti torpet cum lingua palato
 31 ore avido strepitante sitim depellere rivo !
 32 En tibi Naiades udae Dryadesque puellae
 33 munera dant, flores texunt per prata Napaeae,
 34 Phyllidis ut variis ormentur colla corollis.
 35 Pastores alibi inter se certamine ludunt,
 36 pars colluctantes exercent membra palaestra,
 37 pars silicis durae certatim pondera jactant
 38 et jaculis metam feriunt celerique sagitta,
 39 nec procul hinc alii superant jam gramina saltu,
 40 ludifico cursu fluvios aurasque lacessunt :
 41 victores hederæ pallentis dona reportant.
 42 Ille deus certe est passim celebrandus in agris
 43 quicumque instituit lectum sociare jugalem.
 44 Nec Baccho aut Cereri debetur gratia major,
 45 quamvis prima unco tellurem fodit aratro,
 46 ille docet lentas sulco committere vites :
 47 ante nec implebant felices horrea messes,
 48 dolia nec dulci spumabant pingua musto,
 49 sed victum in lucis dederunt silvestria pruna
 50 quernaque glans aluere et copia lactis abundans.
 51 At somnos inter pecudes imisque cavernis
 52 ducebant glacie expertes siccique caloribus ;
 53 tum mortale palam genus et discrimine nullo
 54 jungebat Venerem, impulerat sua quemque voluptas :
 55 sic ruit in vaccam stimulis impulsus iniquis
 56 taurus, in hirsutas hoc hircus more capellas.
 57 Verum hominum et pecudum deus hic discrimina fecit,
 58 at vos, dum virides anni, dum laeta juventa,
 59 ludite, nec longum caros date pignora natos :
 60 tum fetura greges augebit saepibus altis,
 61 noctivagi fures metuent armenta lupique,
 62 tum fluvii Daphnin resonent montesque lacusque,
 63 agrestem Lycidae nisi dedignaris avenam.

Cl_43 v.1 Ergo ego, quae longos sperabam vivere in annos
 2 concordi tecum, vir placide, in thalamo
 3 progenieque domum et viridi exornare juventa,
 4 dum cani inficerent vertice caesariem,
 5 curarum medio squallentum versor in aestu,
 6 artibus abducor nunc quoque femineis.
 7 Turpe virum est equidem muliebres quaerere cultus,
 8 apta viri bene nec femina consilio.
 9 Quam melius nos est hibernas ducere noctes
 10 inter carpentes fila manu vetulas !
 11 At non haec quondam es visus promittere, conjux,
 12 nostram olim tua cum dextra manum tenuit.
 13 Quin potius me, victuram sine litibus ullis,
 14 dent si fata tuo me esse super cineri,
 15 quo minus infelix speravi incommoda quondam,
 16 hoc equidem trepidæ poena venit gravior.

17 Immemor ah penitus germani frater adempti
 18 (sic dederint divi debita supplicia).
 19 Dic, precor : "Insanum quis te malus impulit error
 20 germani toties laedere jam tumulum ? "
 21 Immeritam primum thalamo ejecisse jugali
 22 conqueror, effigies altera quae fueram
 23 conjugis, ut te crudelem nec viscera matris
 24 moverunt, neptes, libera progenies,
 25 nec te fraternusque torus, nec foedera sancta,
 26 nec nostri testes numina conjugii.
 27 O si forte aliquis Manes descendat ad imos,
 28 qui referat fratris facta nefanda viro,
 29 caeruleam invito conscendat regime cymbam,
 30 nec Stygis infames umbra lacus metuat,
 31 non illum triplici circumdata janua ferro
 32 detineat, quin te terreat umbra ferox.
 33 Improbe, cur auri atque argenti captus amore
 34 saevus in uxorem progeniemque meam es ?
 35 Desine, nam te non injussus numine divum
 36 admoneo : "Tristis poena parata tibi est."
 37 Te testor, fraterna cohors, pietate sororis
 38 undique jactatam progeniem foveas.
 39 Nunc etiam undivagam cogor conscendere puppim,
 40 cum Boreas tumidis saevior instat aquis.
 41 Heu potero tristes pluvias et flamina ferre ?
 42 Heu potero siccis monstra videre oculis ?
 43 Parcite vos teneram mediis delphines in undis
 44 dentibus horrendis laedere progeniem,
 45 vos placidam mentem gerere et non impia corda
 46 dicunt et saevos esse negant pueris.
 47 Jam Veneti patres, quorum reverentia magna,
 48 tellurem lustrat qua pater Oceanus,
 49 si pietas umquam vestra et fas pectora movit,
 50 nunc moveat mater parvaque vos soboles.
 51 Aurea sic Venetam Venus et Mars impiger urbem
 52 ambo perpetuis auxiliis foveant.
 53 Libertate frui dii dent et maximus armis
 54 imperium Grittus proferat Oceano.

AD PORTIUM, DE SATURNALIBUS

C1_44 v.1 Magna in luce virum et celebri versaris in urbe,
 2 egregiis homines artibus usque juvans,
 3 Porti, cui meritos tribuit gens Julia honores,
 4 cui Nymphae assurgunt Pieridumque chorus.
 5 Verum ego vicinos colles dulcesque recessus
 6 evolvo peragrans pectore saepe meo
 7 cur festas olim luces dixere priores
 8 nomine Saturni perpetuumque manent,
 9 curarum cum sit deus hic pater inde seniles.
 10 Lacune

AD IOANNEM GRIMANUM, EPISCOPUM CENETENSEM

C1_45 v.1 Jam vale valeatque, domus Grimana, per orbem
 2 nobilis, immensis qua fluit aequor aquis.
 3 Mens avet externas jam nunc perquirere terras
 4 et trepidi properant longius ire pedes,
 5 non tamen ulla mei facient oblivia Jani
 6 tempora, dum membris spiritus ullus erit.
 7 Certum est undivagis vitam committere ventis,
 8 Cypria ut accelerans litora curva petam :
 9 hanc colit ante alias magno discrimine terras
 10 Idalia, hic acuit spicula semper Amor.
 11 Ver ubi perpetuum florentes sufficit herbas,
 12 nec rigido frondes frigore laedit hiems,
 13 ipsa Venus nectit vario de flore coronas,
 14 huic lateri Charites, huic puer haeret Amor,
 15 nunc niveas aperit rejecta veste papillas,
 16 nunc vitreis nudum corpus inundat aquis.
 17 Non timeam Scyllam immanem vastamque Charybdim,
 18 quae miseros nautas gutture saepe vorant,
 19 non fluctus etiam Ionios Strophadasque malignas,
 20 non freta, quae venti sidera ad alta ferunt,
 21 dum deus Idaliis me tandem sistat in oris
 22 sitque inter Veneris vita beata choros.
 23 Heu male lascivis miscebor amoribus ! Eheu
 24 ridebit tremulum Cypria turba senem !
 25 Aurea parce Venus, volitans mihi parce Cupido :
 26 non ego contemno numina magna deum,
 27 non patriam fera mens, veteres non linquere amicos,
 28 est mihi et externas quaerere velle domos.
 29 Marmora non tanti faciam neque divitis auri
 30 pondera, quin Musarum otia grata sequar.
 31 Quid prosunt thalami aurati, quid purpura picta,
 32 si mihi nox curis est vigilanda malis ?
 33 Jane, juvat potius securam ducere vitam,
 34 dum Cenetum tecum sordida rura colo,
 35 Juppiter ipse bonus salubres ubi temperat auras
 36 aligerosque micans sol moderatur equos.
 37 Hoc concedite dii, justis precibusque favete,
 38 sollecitant animum crimina nulla meum :
 39 hinc ubi longa quies oculos noxque ultima claudet,
 40 florida humus leviter corpus anile tegat.

LIBER SECUNDUS

AD IOANNEM ANDREAM VALENTINUM MUTINENSEM

C2_1 v.1 Jane, Valentinae decus et spes maxima gentis,
 2 quem genuisse virum praegestit Mutina talem,

3 magnum virtutis specimen patriaeque tuisque,
4 dum tu Romana ceber versaris in urbe
5 absentisque tui mandata exponere regis
6 Pontifici datur et voces audire loquentis,
7 quo studio majore queam, tibi carmina condo,
8 carmina quae posthac animum testentur amicum.
9 Antra licet nondum fas est penetrare reposita
10 Pieridum juveni, prima lanugine malas
11 qui signat, nec dum teneris excessit ab annis,
12 magnus ubi heroas fertur cecinisse poeta,
13 carmine Trojanum referens Martemque Latinum,
14 Parnasique jugo residens Lucretius alto
15 dicere naturae est causas mortalibus ausus.
16 Tu docta at solitus versare volumina semper,
17 cum primum balbae solvisti vincula linguae,
18 aeternae facile mandabis nomina famae ;
19 nam tibi Phoebus iter monstravit lumine claro,
20 neu plantas saxo offendas neu stipite duro,
21 cum numeris ludens, in primo flore juventae,
22 venandi Nymphis potuisti avertere curam.
23 Desistunt cursu damae cervique fugaces,
24 latratumque canum exspectant dentesque malignos ;
25 at volucres, innixae ramis arboris altae,
26 excipiunt gratos dulci modulamine cantus.
27 Quid quod te manuum natura opera alta suarum
28 edocuit, terram ut media regione locavit
29 aeris, humano generique ferisque colendam.
30 Arva natant vasto Neptunia gurgite pisces,
31 percurrunt volucres densis liquidum aera pennis,
32 flectentes iter ipsa vocat quocumque voluptas.
33 Haec simul, ingenti gyro complectitur aether,
34 siderea ornatus circumque supraque corona,
35 imperitant imis rebus caelestia signa.
36 Hinc studiis hominum diversis corda teneri
37 intuimur : vacat hic pomis agrisque colendis,
38 otia amat patriamque suam gratamque quietem,
39 pingua contentus bobus colere arva paternis ;
40 hunc labor assiduus vastique pericula ponti
41 exercent, dum quaerit opes terraque marique.
42 Pars in bella ruunt, pellentes pectore curam
43 Lethaeam gaudent respergere sanguine dextras.
44 Scilicet et postquam, praesenti numine Phoebi,
45 herbarum insita sit quae cuique potentia nosti,
46 duxerunt te fata Augusti ad limina regis
47 at procul ex illo retinet Polonia dives
48 finibus Italiae patriaque et sede paterna.
49 Te sine nil magnum sapienti pectore volvit
50 rex tuus aut inferre volens aut pellere bellum
51 illatum ; tibi talis inest prudentia rerum.
52 Hinc oratorem jussit petere arva Latina,
53 Pontificis de more pedi ut des oscula sacro
54 Italiaeque duces haud parvo munere dones.
55 O vere pietate tua, justissime regum,
56 Sarmata rex, qui sollicita nunc mente volutas
57 reddere quo possis pacto concordia regna
58 Christicolae gentis, cum magna insania vexet

59 inter se certare viros discordibus armis.
 60 O utinam proceres, Christo duce et auspice Christo,
 61 Turcarum imperium communi milite vastent ;
 62 tum demum populi Christi pia numina adorent
 63 quacumque Oceanus terrarum amplectitur orbem,
 64 hoc fore pollicitus quondam labentibus annis
 65 Rex divum atque hominum, nutu qui sidera torquet.
 66 Tristia bella cadant, inflentur classica nusquam,
 67 otia agros teneant securi grata coloni,
 68 adsit honos Musis et doctae Palladis arti,
 69 ut passim longae celebrentur munera pacis.
 70 Interea ne, Jane, tuis non laudibus aequa
 71 carmina fastidi juvenis, qui pectore toto
 72 te exceptit teneroque volens veneratur amore.

AEGLOGA

LYCIDAS

C2_2 v.1 Quo tibi iter, Montane ? Gravi sub pondere pressus
 2 incedis vallesque imas singultibus imples ;
 3 non ovis aut hirtae tantum jactura capellae
 4 te movet, ut terra nequeas attollere vultus.

MONTANUS

5 O felix, qui dum passim trepidatur in agris
 6 umbriferam ad pinum segura in pace quiescis,
 7 dum resonant volucrum cantus vallesque nemusque !
 8 At nos, dum pratis arentibus imminet aestas,
 9 cogimur exilio patriis excedere campis.

LYCIDAS

10 Et quae causa solum te nunc mutare coegit ?
 11 Audieram pecudes solitum te pascere mille,
 12 fortibus et tauris invertere jugera centum.
 13 Forsitan occidit pecus inclementia caeli
 14 invitumque etiam pellit te rure paterno ?

MONTANUS

15 Felices fuimus quondam, praesepebus altis
 16 quum mane exirent pecudes ad pascua nota :
 17 non mihi lac toto deerat non caseus anno
 18 et pretium haedorum referebat dextera magnum.
 19 Nunc Turcae immites vastarunt omnia late :
 20 gens, quae mortales spernit, nec numina divum
 21 ulla colit, matrum obtruncat sub pectore natos,
 22 exanimat matres infanda morte virosque
 23 et divum templis sceleratos injicit ignes.
 24 Hanc hominum Ausoniis pestem deus arceat oris.

LYCIDAS

25 Fama meas dudum Turcarum venit ad aures,
 26 qui praedam innumeris passim regionibus urgent,
 27 sed non credideram ausuros superare Timavum,
 28 quamvis nostra lupi implerent ululatibus arva,
 29 nec (velut ante) greges peterent validosque juvencos,
 30 sed foedare hominum gauderent ora cruore ;
 31 verum Grimanus securos jussit ab omni
 32 esse malo, hostiles nec quicquam horrere tumultus.

MONTANUS

33 Nec dux, nec princeps ullus nos reddere tutos
 34 Turcarum rabie potuit : nunc omnia late
 35 nostra tenent et jam feriunt incendia caelum.
 36 Ut ditem agricolae quondam, Montane, vocabant,
 37 sic nunc te miserum dicent magis omnibus esse.
 38 Quis deus, o Lycida, est tamen hic ? Quas incolit urbes ?
 39 Ede, precor, neque enim mortalem dicere fas est.

LYCIDAS

40 Audisti Venetam ferri sermonibus urbem,
 41 quae mediis immota manens extollitur undis ?
 42 Tecta hic marmoreis habitat constructa columnis,
 43 intus ubi fulgent thalami ceu sidera caeli,
 44 hic ritus celebrat sacros et thure Sabaeo
 45 caelestes merito divos veneratur honore.
 46 Postquam ille emensus ventosum navibus aequor,
 47 in terris sacrata deum vestigia quaerens,
 48 Adriaco tandem persolvit litore vota.
 49 Pastor ego assuetus pecudes educere septis
 50 agrestique sono silvas implere canoras,
 51 non illi extimui tenues inflare cicutas :
 52 ter canere incepti, mihi ter vox excidit ipso
 53 gutture, cum tanta victa essent lumina luce.
 54 Tandem restituit mentem de more benignus,
 55 cum numeros audire meos aequa annuit aure,
 56 quamvis non Siculi moduler pastoris avena,
 57 nec referam cantus, quos Tytirus edidit olim.

MONTANUS

58 O felix Lycida, residens in graminis herba,
 59 Hunc herosa canes securus turbine ab omni,
 60 at mihi, dum profugus pecori nova pascua quaeram,
 61 ignotas inter gentes, regione remota,
 62 vesanus rapiet lupus agnum matre sub ipsa,
 63 nec canis arcebit vanis latratibus ursos.

LYCIDAS

64 Ne, Montane, tuae penitus spem pone salutis,
 65 longa dies forsitan pro fletu gaudia reddet,
 66 cum raptim Turcae vestris pellentur ab agris.
 67 Tu mecum interea claudes praesepibus agnos
 68 hospitis in morem nullo discrimine rerum.

MONTANUS

69 At tibi pro tali feturae munere partem
 70 promitto nostrae et vestro sum rure libenter,
 71 Principis ut cernam vultus, quos mente recepi.
 72 O si forte domum revocet me nuntius, ultro
 73 affirmetque novos illinc migrasse colonos,
 74 tum referam vidisse deum pastoribus illis,
 75 praeter Silvanum in terris Faunumque bicornem,
 76 agricolas qui ruris amans tueatur ab hoste.

AD IOANNEM ANDREAM VALENTINUM

C2_3 v.1 Mars pater, unde oritur crudelis in orbe tumultus ?
 2 Undique jam fervent impia bella diu.

3 Anne nocent caeli miseris mortalibus astra ?
 4 Anne agit in praeceps mens sua quemque malum ?
 5 Hinc Asiae vires Turcarum puppibus altis
 6 rex trahit, Ausoniis finibus arma movens ;
 7 hos Caesar virtute sua victricibus armis
 8 nunc premet, ut quondam contudit arte feros.
 9 Parte alia toties Italis devicta resurgens,
 10 exitium in nostrum Gallica turba ruit.
 11 Heu frustra aerias Alpes tutamen ab hoste
 12 Barbarico dederunt numina magna deum :
 13 jam tum crescentis capiunt cum moenia Romae,
 14 post patriaeque affert maximus exul opem,
 15 supplicium sed enim noxae par saepe reportant
 16 sanguine fecundant arva Latina suo.
 17 Quid fregisse Alpes tibi, Poene, profuit, igni
 18 totque acies victas, tot cecidisse duces,
 19 si dum tu Ausoniae angusta regione teneris
 20 jam metuit patrium Martia signa solum ?
 21 Sed me longa quies, vacuum sed carmina mentem
 22 tardant. Pierides jam procul este mihi :
 23 certum est castra sequi, lituos interque tubasque
 24 et galea caput accingere et ense latus.
 25 Ah potero, assuetus Musis placidaeque quieti,
 26 tela gerens humeris pondera dura pati ?
 27 Quam male pertractant artes hoc tempore belli,
 28 robus ubi haud hominum, sed dolus usque viget ;
 29 machina praecipites pilas cum mittit athena,
 30 saxa tremunt, referunt flumina magna pedem.
 31 Frustra ferrato corpus defendimus orbe,
 32 impete cum tanto moenia pulsa ruant.
 33 Nonne iter angustum satis est angustaque vitae
 34 tempora, ni brevior sit via facta necis ?
 35 At pestis quicumque inventor diceris hujus
 36 Barbare Germanis (ut reor) orte jugis,
 37 saeva trahat vinctum dirarum turba sororum,
 38 anguibus intortis corpora dura secans,
 39 vesanus laceret te Cerberus ore cruento
 40 sparsaque Cocyti viscera mergat aquis.
 41 Aequore quam melius Polonum pugnat aperto
 42 rex acies fundens agmine saepe suo :
 43 nunc Moschos gentesque feras, quas terminat ingens
 44 Oceanus, victor jam dicione premet.
 45 Non sine te, Jane, haec ingentia proelia inibit,
 46 unde tuum nomen gloria rara manet.
 47 O ego, si praesens adsim, quae gaudia fundam
 48 captorum adspiciens brachia vincta ducum !
 49 Tunc immortales regis mea Musa triumphos,
 50 tunc celebret laudes, optime Jane, tuas.

C2_4 v.1 Qui situs hoc tumulo est vitali lumine cassus
 2 quemque super saxi pondera iniqua premunt,
 3 vivebat nuper nitida florente juventa,
 4 exagitans lepores agmine saepe canum,
 5 tolleret Oceano radios cum Phoebus ab alto

6 cumque idem immenso mergeret amne rotas,
 7 ignarus scelerum atque infandi criminis expers
 8 et procul a curis libera corda gerens.
 9 Nec longum invidit bona tot mors atra, priusquam
 10 debita compleret stamina Parca manu :
 11 improba mors, superi crudeles fataque dura,
 12 quae juvenes nobis tollitis ante diem !
 13 Quid credam, nisi per terras fluere omnia casu
 14 et curare homines numina nulla deum ?
 15 Hic quia versatur semper tela inter et enses
 16 turpatasque virum sanguine habere manus
 17 gaudet, tum demum venit cum tarda senectus,
 18 belligero galeam donat habere deo ;
 19 qui patriam incoluit nec sede excessit avita,
 20 vitali primo concidit in spatio.
 21 Candide sed moriens vitasti incommoda vitae,
 22 quae miseros homines undique mille manent :
 23 non metues toto ferventes orbe tumultus,
 24 non litui abrumpent somnia grata tibi ;
 25 nunc, laetos lustrans campos sedesque beatas,
 26 insequeris pavidas per loca opaca feras.
 27 Nec tibi si detur superos invisere rursus
 28 crediderim Stygiam scandere velle ratem.
 29 At nulla interea delebunt nomen amici
 30 tempora, ni frustra carmina nostra canent.

HYMNUS IN DIVAM LUCIAM

C2_5 v.1 Labere e caelo, dea, per patentem
 2 aeris tractus, precibus benignas
 3 applicans aures, tibi dum Sabaei
 4 dantur honores :
 5 Te vocant casti pueri et puellae
 6 integrae passim monitis parentum,
 7 te canit supplex populus, salubres
 8 poscit et auras.
 9 Virgo tu quondam teneris sub annis
 10 corporis vires reparas parenti,
 11 cui fluens sanguis velut unda fessos
 12 solverat artus,
 13 non opem implorans veterum deorum,
 14 non egens succi medicae nec artis,
 15 mente sed pura precibusque divum
 16 numina adorans.
 17 Coetus ut sacris abiit peractis,
 18 somnus invadit nitidos ocellos,
 19 certa dehinc movisse deos quietem
 20 pectore pellis.
 21 O super matres Siculas beata
 22 Luciae mater, rosea in juvena
 23 Caelites cernens potuisse natam
 24 flectere votis.
 25 Tempore ex illo generum parenti
 26 pernegas, horrens thalamum jugalem,

27 nec jocos casto nec amans protervos
 28 pectore ludos.
 29 Siderum humanae sobolisque regi
 30 voveras olim sine labe mentem,
 31 sacra cum primum lavit unda crines
 32 fonte perenni.
 33 Nec minas stulti metuis, nec iras
 34 sponsuli dotali inhiantis auro,
 35 qui domum exornare nova parabat
 36 prole virentem,
 37 quin, sciens causam, nitidos ocellos
 38 mentis insane, sine luce, casta,
 39 vivere exoptans, violenter haustos,
 40 munera mittis.
 41 Haud mora est lumen tibi restitutum
 42 arte divina, neque consul amens,
 43 nec potis vis est hominum ulla sanctum
 44 laedere corpus.
 45 Desuper missum tibi pondus ingens
 46 firmat immotam, scelerata donec
 47 dextra crudeli secat ense fuso
 48 colla cruore :
 49 laeta tum sedes repetis beatas,
 50 siderum clara comitata luce.
 51 Diva, nunc votis hominum vocaris
 52 rite per aras ;
 53 mente gaudentes nitida puellas,
 54 laudis ardentem pueros amore
 55 redde, da longum populo roganti
 56 cernere lucem.

HYMNUS IN DIVUM IOSEPHUM

C2_6 v.1 Te quibus dicam numeris colendum
 2 semper et cultum trepidante in aevo,
 3 qui deae custos habitusque es unus
 4 Virgine dignus,
 5 ut sacri quondam cecinere vates,
 6 mentis ardorem aethereum gerentes,
 7 aurea ut multo ante homines futura
 8 saecula noscant ?
 9 Affer optatam, bone dive, lucem,
 10 qui potens altis dominaris astris
 11 quique per bissenam regis volutum,
 12 aureus, annum.
 13 Cum Jovis summo veniens Olympo
 14 nuntius mandata patris recludet
 15 Teque divino, dea magna, longum af-
 16 -fabitur ore :
 17 "Quid times, Virgo ? Tibi jam parantur
 18 nuptiae : custos dabitur pudoris
 19 hic senex, natum paries nitentem
 20 corpore casto."
 21 Non domos fultas Pariis columnis,

22 non trabes auro nitidas superbo,
 23 vestis aut Coae pretiosa dona
 24 praeferebat antro :
 25 ter quaterque antrum celebre et futuris
 26 saeculis toto venerandum in orbe,
 27 quod deum dignum atque hominum fuisti
 28 edere regem.
 29 Gramine exceptum, medio in rigore
 30 flatus hiberni, procul urbe et inter
 31 pace gaudentem nivea juvencum et
 32 inter asellum,
 33 tu quoque optavit sibi quem parentem,
 34 hic deus, ferro solitus recurvo
 35 fabricans truncos manibusque et arte
 36 ducere vitam.
 37 Nocte jam multa jacuere fessa
 38 membra, cum Virgo peperit Tonantem ;
 39 laetus hinc somno puerum fugato
 40 aspicias ortum,
 41 quem chorus circum steterat deorum
 42 nube candenti venerabilisque
 43 Mater in lucem Dominum edidisse
 44 vix sibi credens.
 45 Ter gradu supplex properas senili,
 46 ter genu procumbis humi, nitore
 47 deficis tanto, data mens tibi dum
 48 munere divum.
 49 Interim ductu rutilantis astri,
 50 Tres ab externa regione reges
 51 afferunt myrrham redolentque thure
 52 antra Sabaeo.
 53 Hinc, deum junctis manibus precati,
 54 in suas sedes abeunt iterque
 55 compotes voti faciunt statimque
 56 conditur astrum.
 57 Te senem dicunt merito beatum,
 58 cui datum Christi decimum videre
 59 alterumque annum ; mala nec tyranni
 60 obfuit ira :
 61 namque adhuc Christum puerili in aevo,
 62 mente caelesti, intuitus docere
 63 recta mortales sapienter, inde
 64 Numen haberi.
 65 Sic deum aeternus pater esse sanxit,
 66 urbe ne pulsum senior videres
 67 et cruce elatum medio latronum
 68 pectore fixo.
 69 Nunc quoque exora prece, dive, multa,
 70 ne gravis pestis fera sentiamus
 71 funera, aut casus varios malique
 72 vulnera belli.

AD DIVAM LUCIAM

- C2_7 v.1 Diva, mihi aethereo reddis quod lumine lucem,
 2 Lucia, carminibus saepe vocata meis,
 3 paene gravi pilae privatus lumine ab ictu,
 4 lumina pro vera argentea luce dico.
 5 Haec decorent aras pendentia testis honoris ;
 6 currat, opem implorans, hinc pia turba frequens.
- C2_8 v.1 Hei mihi, cur divi nostro adversantur amoris ?
 2 Nec mater cupidis, nec puer ipse favet.
 3 Sperabam casti fructus jam carpere amoris
 4 ireque in aeternae foedus amicitiae,
 5 cum subito arreptam jactat me pestis iniqua,
 6 cogor et in viduo sola jacere toro.
 7 Pro roseo facies primum subit atra colore
 8 proque acie nigra nox lumina nostra tenet ;
 9 quique forent testes et nostri pignus amoris,
 10 torpuerant digiti torpueratque manus.
 11 Attulit auxilium tandem exoratus Apollo,
 12 languida Paeonio membra liquore levans ;
 13 nondum firma satis peterem cum templa deorum,
 14 obvius es fessae fessus et ipse magis.
 15 Tum calor extemplo tremebundos deserit artus :
 16 concideram, mater ni mihi ferret opem.
 17 Crudeles nimium caelestes ! Vota puellae
 18 vana ferunt venti, nec valuere preces.
 19 Pro quo thura dabam, pro quo pia numina, supplex,
 20 orabam ? Juvenem tollitis ante diem ;
 21 parcite dum virides anni, dum laeta juvenus.
 22 Namque eadem immeritos tolleret hora duos.
 23 Olim, cum canis crines mutaverit aetas,
 24 prole data, tumulus condat utrumque levis.
 25 Interea juvenem atque una servate puellam,
 26 ne pereat primo limine noster amor.
- C2_9 v.1 Praeterit Autumnus pomis praecinctus et uvis,
 2 praeterit et secum gaudia ruris agit ;
 3 picta cohors volucrum, ventos et frigora vitans,
 4 finibus e nostris litora nota petit,
 5 cum puero Cytherea suo comitata puellis
 6 lascivis gressum moenia ad alta refert.
 7 Hinc jocus omnis abest, hinc grati commoda ruris
 8 nulla super duro deveniente gelu.
 9 Quae nos causa igitur tam longo tempore in agris
 10 detinet ? Agrestis tecta valetae casae.
 11 Tu quoque, Sertori, Colloretana propago,
 12 edidit e Turri quem generosa parens,
 13 rumpe moram patriamque libens carosque Penates
 14 linque et Iuleo litore solve ratem,
 15 dum facilem cursum Boreas dumque aequora praebent,
 16 dum viget in tenero pectore laudis amor.

17 Quicquid ages, aderunt felicia sidera et augur
 18 Delius, imponens laurea sarta comae,
 19 seu te castra juvant lituique ensesque tubaeque
 20 et victo exuvias hoste referre domum,
 21 otia seu potius laudabis pacis amator,
 22 eloquio gaudens carminibusque sacris.
 23 Hinc exempla movent materni atque inde paterni
 24 sanguinis, ut cupias pectore magna tuo.
 25 Martius hos ardor rapuit per tela, per hostes,
 26 perpetuae ut laudis praemia magna ferant,
 27 jamque suis gaudent votis, jam pace fruuntur
 28 mortalesque inter gloria rara manet.
 29 Nomina delebunt quorum non tempora iniqua,
 30 non etiam irati tela timenda Jovis
 31 cum semel haeserunt scriptis aut lege solutis,
 32 aut numeris, docti quos cecinere viri.
 33 Ergo age, lascivae capiant ne gaudia vitae,
 34 difficilem primo limine carpe viam :
 35 namque Venus dudum Venetam migravit in urbem,
 36 deseruit Cypron Idaliumque nemus.
 37 Si sapis hanc procul effugias puerumque protervum :
 38 illa faces praefert, spicula mittit Amor,
 39 quin etiam juvenes miseros in retia adurgent
 40 vinclaque dant manibus vinclaque dant pedibus.
 41 Sed te Parthenius, facundo doctius ore,
 42 quae fugias prudens quaeque sequare monet.
 43 Ah ego quam demens, Veneris qui numina laedo !
 44 Crimine non levis hoc, poena luenda mihi est :
 45 jam grave inaurata minitatur cuspide vulnus,
 46 jam dominae sentit plumbea tela lateris.
 47 Jam sequor, illa preces fugit aspernata rogantis ;
 48 tardus ego, ast oculis avolat illa meis.
 49 Sic olim pavidam insequitur Peneida Apollo,
 50 vulnere non alio pectora fixa gerens ;
 51 ultus amor Phoebi est fastus et dicta superba,
 52 quod puerum victo spreverat hoste tumens.
 53 Me quoque, dum castris avertere nitor amantes,
 54 deducet vinctum in regna superba Venus.

IN DIVUM MARTINUM

C2_10 v.1 Hactenus Idaliaeque faces plenamque pharetram
 2 auratis retuli telis hominumque labores
 3 diversos, qui, caeci oculis et mente labantes,
 4 lascivos pueri gressus et castra sequuntur.
 5 Nunc ego caelestum laudes celebrare deorum
 6 (sit modo fas) aveo, divino numine pleni,
 7 pectore qui toto caelum sedesque beatas
 8 amplexi, in terris agerent quo tempore vitam,
 9 mortales praecepta dei docuere, nec ulla
 10 pro sacra pietate pati tormenta negarunt.
 11 Ante alios, Martine, meis sis addite chartis,
 12 Sabariae decus, a teneris quem spiritus annis
 13 aethereus regnatori sacra vit Olympi,

14 Caesarea quamvis haud aequa lege coactus
15 militiam sequeris longaevi nomine patris,
16 lorica inductus galeamque ensemque micantem.
17 Tu tamen in castris, inter discordiaque arma,
18 iracundus ubi Mavors dominatur et acta
19 in furias hominum gaudens Bellona cruore,
20 servasti placidam procul omni a crimine mentem,
21 nec minus Ausoniae fines cum barbarus hostis
22 vastaret saevoque arderent cuncta tumultu,
23 armatis audes mediis occurrere campis,
24 agmine pro toto solus : victoria nullo
25 sanguine tum parta est. Sic dii statuere volentes
26 te diversa sequi signa hisque excedere castris.
27 Hinc ope divina repetens patriamque Laresque,
28 ablueres sacro labes ut fonte parentum,
29 destruis insidias Plutonis multa novantis,
30 si qua iter inceptum ratione avertere posset,
31 in varias sese mutando saepe figuras.
32 Quin etiam aerias superas dum sedulus Alpes,
33 immisit tibi latrones angusta tenentes
34 faucibus Alpinis ; aurae excepere securim
35 in caput elatam, magno haud sine numine divum.
36 Gurgite sic medio pastor Neptunius olim
37 fallebat sensus hominum, nunc fulmina sumens
38 saetigeri suis, exuviis nunc terga leonis
39 indutus fulvi, nunc ignes evomit ore
40 terribili, nunc ex oculis abit ocior unda.
41 At nova Sabariae rabies invaserat urbem,
42 sedibus, infelix, ut deturbaret avitis
43 tollere conantem veterum simulacra deorum.
44 Ah miseri, miseri quae vos insania adurget ?
45 Par erat externis quem vos traducere ab oris
46 pellitis e patriis strepitu per compita turpi
47 latratuque canum, populos ad vera vocantem
48 sacra deum, Stygiis oneratos colla catenis.
49 At tu, dive, libens crudeles desere terras
50 optatumque velis nobis jam reddere lumen.
51 Te sata, te fluvii, te laetis pascua campis
52 invitantque greges, vitreo de fonte lavari
53 gaudentes, dulci capti pastoris avena,
54 quin etiam sacri vates, ventura canentes,
55 praeficiunt aris divum templisque regendis.
56 Non tibi vis adversa hominum, non ulla venena
57 invidiae obstabunt, cedet quoque maximus ipse
58 Caesar, Romana rerum dominator in arce,
59 cum solio paene aethereo correptus ab igni,
60 dum precibus surdus venienti assurgere temnit,
61 excipiens merito nec te dignatur honore.
62 Parva loquor. Tibi siderei regnator Olympi
63 dat revocare animas Stygiis Acherontis ab undis,
64 tergeminus licet aeternis custodiat Orcum
65 Cerberus excubiis, cladis non immemor ille
66 liminis infracti, postquam divina propago
67 missa polo, afflicto ut tandem succurreret aevo,
68 morte obita, heroas supera ad convexa reduxit
69 immersos tenebris, jam longum tempus, Averni.

70 Hinc trepidis properant quaesitum oracula rebus
 71 quicumque abluitur Tyrrheni gurgitis aestu,
 72 quicumque Adriacos prospectat litore fluctus :
 73 inconsultus abit nemo, qui pectore puro
 74 te rogat et Christi sequitur vestigia sacra.
 75 Nec tantum pia turba frequens tua numina adorat,
 76 verum elementa simul, dictu mirabile, quod non
 77 expositum flammis ventorum agitata procellis
 78 ignea vis umquam laesit, sed pulsa liquore
 79 ambrosiae retro sinuosa volumina flexit.
 80 Jam tibi nauta vagus, mediis servatus ab undis,
 81 debita festinans in litore solvere vota,
 82 velaque suspendit remosque in limine templi.
 83 Demere tu rabiem potis es canibusque lupisque,
 84 sibila serpenti, populis nocitura nefando
 85 afflatu, quam primum illis ni cederet arvis
 86 imperio procul acta tuo trans aequora pestis.
 87 Haec oculis hominum subdis miracula, dum tu
 88 in terris virtute aperis tibi limen Olympi,
 89 tristia nec metuens, cupiens nec gaudia, corde
 90 sollicito, humanas recto quae limite mentes
 91 avertunt curasque graves mortalibus addunt.
 92 Nunc demum aspectu divino lumine inhaerens
 93 perpetuo gaudes votisque vocaris ab alto,
 94 at tu dexter ades, genibus dum pronus utrisque
 95 te populus plena thuris veneratur acerra,
 96 effuso quae te maneant sine sacra cruore,
 97 dum pia religio, Christi dum templa manebunt.

IN DIVAM LUCIAM

C2_11 v.1 Quid magis divis placeat rogatus
 2 aureae in templis statuae, an Sabaea
 3 thura, non versus dubitem inter ampla
 4 munera ferre.
 5 Namque caelestum pia turba divum
 6 gaudet aeternum superis in oris,
 7 nil opis nostrae tabulaeque pictae, aut
 8 munerum egena.
 9 Huc ades dilecta tamen Tonanti,
 10 Lucia, et laudes, bona verba et audi,
 11 quae tuum nomen celebrant per aras
 12 luce nitenti.
 13 Thureum templi redolent odorem
 14 fornices alti recinuntque nomen
 15 Luciae ; accendit pia turba passim
 16 cerea dona.
 17 Te rogant una pueri et puellae,
 18 supplices junctis manibus genuque
 19 rite nudato cupiuntque lumen
 20 tangere virga,
 21 quae fugat morbos oculis protervos,
 22 ni sibi desit populus, maligna
 23 mente divini auxilii negator,

24 numina temnens.
 25 Ast ego, ereptus trepido periclo
 26 lucis optatae, meritas quotannis
 27 concinam laudes, potero nec umquam
 28 solvere grates.

DE PHILIPPO STROTIO

C2_12 v.1 Dum patriae nimio te libertatis amore
 2 ultorem jactas, nulla pericla timens,
 3 invida rumpit iter laudum fortuna tuarum,
 4 eripitur manibus palma parata tuis.
 5 Servitium sed triste diu perferre, Philippe,
 6 non potes et domini jussa superba pati,
 7 ante oculos ponens Romani facta Catonis,
 8 pro patria nullum credis obire malum.
 9 Hoc superas : laribus procul occidit ille paternis,
 10 tu patriam effuso sanguine spargis humum.

C2_13 v.1 Sic tibi Pierides pandant Helicon virentem,
 2 sic pater optatum lumine monstret iter,
 3 ne latus in dextrum vestigia, neve sinistrum
 4 vana feras, sed ames inter utrunque viam,
 5 ut tibi amicitiae patuerunt limina nostrae,
 6 carmine nam capta est mens animusque tuo.
 7 Interea haud fallax surgentis pignus amoris
 8 accipe, ne dubites corde aliena loqui :
 9 tempus erit forsan manibus cum consita nostris
 10 fronde nova circum tempora laurus eat.
 11 Tiliaventeis, Nymphae, quae luditis undis
 12 quaeque agitis celeres per loca senta feras,
 13 Sylvius has statuit vobis, has Sylvius aras,
 14 quas niveae supplex sanguine tingat ovis.
 15 Sistite vos rapidos cursus, dum trajicit ille,
 16 ut bibula dulcis hauriat aure sonos.

C2_14 v.1 Quod tandem optato soror est conjuncta marito,
 2 hoc, reor, aeternos evoluisse deos.
 3 Affuit Idalia ut thalamo sociaret eodem,
 4 Juno utrisque aderit pignora cara ferens :
 5 hinc pariter liceat crescentem cernere prolem,
 6 et longam invita vivere morte diem.
 7 At tu Pieridum cultor Phoebique minister,
 8 carmine quem nuptam concinuisse juvat,
 9 ut sacrum adire nemus valeas fontesque repostos,
 10 monstret iter firmans docta Minerva pedes :
 11 tutior hinc superes gressus quaecumque fatigant,
 12 hinc merita incipias cingere fronde caput.

C2_15 v.1 Auræ, quæ æstivos lenitis sæpe calores,
 2 seu colitis ripas æthereamve plagam,
 3 huc celeres properate, acri defendite ab aestu
 4 Romuleam prolem Romuleumque caput.
 5 Ferte ratem faciles, dum patria moenia linquunt,
 6 abluat ut Rheni parvula lympha pedes.
 7 Erigit hoc aram florenti cespite Damon
 8 vosque etiam multa non sine laude canit.

ABSTEMII

C2_16 v.1 Collibus e patriis secessit in avia Mopsus
 2 et lustrat celeri pascua lata pede.
 3 Pastores, vestris dum Mopsus saltibus errat,
 4 dum terit umbrosis otia longa locis,
 5 efficite, et precibus certatim et munere grato,
 6 temperet ut solitis carmina blanda modis.
 7 Talia, pastores, avida exceptabitis aure,
 8 qualia suavidico Tityrus ore canit.

AD ABSTEMIUM

C2_17 v.1 Collibus egressus patriis dum rura peragro
 2 Faganeae, æstivos dum levat umbra dies,
 3 carmina nulla mihi dictant, velut ante, Camenae :
 4 ingenium numeri deseruere meum.
 5 Te sine rus sordet, sordent et amoena vireta,
 6 nec capiunt blandi pectora nostra joci.
 7 Huc ades ergo, tui si qua est tibi cura Cichini,
 8 desine vel solitos quaerere, amice, modos.

C2_18 v.1 Rex superum atque hominum, cui summa potentia rerum,
 2 cujus ob imperium volvuntur sidera caeli
 3 et volucres nitidis spatiantur in æthere pennis,
 4 nec minus Oceanus terras super eminent alto
 5 gurgite, quæ generi humano cessere colendæ,
 6 si patris ætherei jussis delapsus Olympo
 7 perpetuæ redimis damnatos crimine mortis,
 8 adde, precor, dubiæ clarissima lumina menti,
 9 rectum iter ut liceat justo percurrere gressu,
 10 nocte nec errantes cogamur linq̄uere cursus
 11 inceptos ; tua lux oculis sit prævia, nec nos
 12 aut spes destituat, patris aut clementia summi.
 13 En celebrant aras, en turba sedilia complet,
 14 Mopsus agente deo dum vatum arcana recludit
 15 luce sacra, cui cura gregum non parva tuorum,
 16 ut pater omnipotens, hominum miseratus, iniquam
 17 sortem animo sobolem terras demisit ad imas.
 18 Siderea tum sede ad luctisonos singultus

19 laberis, aetherea ad tenebras de luce malignas.
 20 Sponte tua vultus divinos exuis, esque
 21 mortalis, varios pateris durosque labores ;
 22 usque adeo tantae superis mortalia curae.
 23 Nec satis, egressus nondum juvenilibus annis,
 24 ne patris ingentem in nos averseris amorem,
 25 hostibus ipse tuum corpus venientibus offers.
 26 Ter rabidi voluere manus afferre nefandas,
 27 ter percussi omnes retro cecidere ruentes
 28 tum demum innumeris vinclis traxere volentem
 29 ad proceres scelere insanos furiisque tremendum
 30 concilium ; uni omnes magnis clamoribus instant.
 31 Heu quibus insontes percussi fascibus artus !
 32 Heu quos contemptus, quae dicta superba furentum
 33 siderei potuere oculi perferre ! Nec umquam
 34 occupat ira tuum pectus veniamque precari
 35 desinis : una salus haerebat nostra medullis.
 36 Sic agit in praeceps hominum imprudentia rerum
 37 pectora, sic commissa luunt peccata nepotes.
 38 Quin etiam divina cruci pendentia miris
 39 membra modis video, spinis praefixaque acutis
 40 tempora, siderea quondam exornata corona.
 41 Heu quis clavorum strepitus jam perculit aures ?
 42 Non passis parcunt manibus pedibusque revinctis,
 43 crudeles, sitiende deo dant pocula felle
 44 infecta, illudunt verbis regemque salutant.
 45 Quippe etiam cum anima patrem fugiente rogares
 46 parceret insanis, equitum non ultimus hasta
 47 transadigit pectus : cruor inde emanat et unda
 48 dissolvens tenebras oculis, agnosceret ille
 49 percussum ut dominum caeli terraeque marisque.
 50 Tum regem testata suis perculsa ruinis
 51 intremuit tellus, crines involvit Apollo
 52 nocte atra, soror obscuro dat corpore fletus.
 53 Nosque hodie angores lacrimis comitamur et alto
 54 cum gemitu, rex alme, tuos ; pietate decoris
 55 aspice nos oculis erroresque abluere nostros,
 56 dum vitam in terris agimus, clangore tubarum
 57 terribili exciti extrema ne luce trifaucis
 58 latratum canis, aut flammam timeamus et Orcum,
 59 sed tecum liceat superas ascendere ad auras,
 60 quae sedes est certa piis, ubi luce serena
 61 Teque patremque tuum aeterno veneremur honore.

C2_19 v.1 Summe deum, recolo quoties errata, rubor me
 2 opprimit et nullus pectore sensus inest.
 3 Pandere non sacris mens sufficit illa ministris,
 4 non abolenda quidem spes super ulla mihi,
 5 sed genus in mortale tuum cum rursus amorem
 6 intueor, metus hinc protinus omnis abest.
 7 Non frustra terras olim petis a patre missus,
 8 brachia non frustra pandis ad astra vocans.
 9 Omnipotens ergo, rerum quem nulla latet pars,
 10 imperio mentem jam moderare tuo

11 robur et adjicias, Stygio ne serviat hosti
 12 capta, sed auctorem tendat ad usque suum.

C2_20 v.1 Tandem agite et vitreos jam jam recludite fontes
 2 Aonides, monstrate aditus muscoque virentes
 3 speluncas, liceat dulcis haurire liquores,
 4 nec timeam ingentes laudes et facta referre,
 5 nec nostris magnum Grimani inscribere nomen
 6 carminibus, licet imprudens et viribus impar
 7 dicere majora aggrediar, calamos assuetus
 8 agrestis inflare et munera carpere ruris.
 9 O mihi, Pierides, olim concedite carmen,
 10 quale canit propter Sebethi flumina vates
 11 excidium Trojae referens Troasque vagantes
 12 per maria et terras jactatos mille periclis.
 13 Sit satis interea pastoris dicere Musam,
 14 dum pruni Lycidas viridi requiescit in umbra
 15 et secum domini adventum meditatur in hortis.
 16 Desere Romanam, princeps, cum moenibus urbem
 17 et septemgeminas arces et tecta superba,
 18 jam colles et rura, lacus montesque revise,
 19 omnia quae, longum, proprios exuta decores,
 20 perpetuam nobis hiemem frigusque minantur.
 21 Principis at postquam norunt vestigia, passim
 22 sufficiunt flores et gramina laeta vicissim
 23 et ver promittunt aeternum atque aurea saecula.
 24 Nunc mecum incurvo quisquis molitur aratro
 25 tellurem vitesque putat. Gaudete coloni :
 26 non tellus lolio et sterili deludet avena,
 27 horrea deficient sed magno pondere messis ;
 28 non varias volucrum pestes florentibus uvis
 29 vinea non metuet maturis grandinis ictus,
 30 sponte sua ramis pendebunt dulcia poma.
 31 Flamina ventorum, nec erunt crebraeque procellae,
 32 quae viduent raptim grato pomaria honore,
 33 at pecus intentum gracili pastoris avenae,
 34 a grege non errans, pingui exsultabit in ervo.
 35 Hinc turpis scabies aberunt morbique procaces
 36 latratumque canum metuent rabida ora luporum,
 37 quamvis non pecudum praeda contenta, sed acres
 38 intendant morsus pastoribus, ut neque saxis
 39 crudeles possint, nec ferro avertere dentes,
 40 nunc demum in silvas atque in deserta recedent.
 41 Pastorum huc ergo propera spes unica tecumque
 42 otia agris affer, vultu caelumque serena !
 43 Vitiferi colles plaudunt et amoena vireta
 44 assurgunt silvaeque lacusque et mollia prata
 45 et vario intexunt Nymphae de flore coronam :
 46 divini tibi tantus honos et gratia ruris.
 47 Jamdudum steriles tenet alto gurgite arenas
 48 Tiliaventeis consurgens divus in undis,
 49 fronde caput nitida cinctus, quem numina circum
 50 stant, quaecumque colunt montes rivosque propinquos,
 51 ut merito excipiens tete dignetur honore.

52 At tibi longa virum series occurrit ad altas
 53 ripas, cincta comam et viridi cava tempora lauro,
 54 praetenditque manu ramos felicitis olivi.
 55 Tu pacem pacisque tuis fers dona colonis
 56 securumque animum risusque jocosque solutos.
 57 Interea diversa tui dum munera portant
 58 agricolae, magis ipse dabo durabile munus.
 59 Hunc Lycidas fontem Grimano dedicat, undis
 60 qui vitreis saliens fecundos irrigat hortos
 61 marmoreumque super spirans signum arte magistra,
 62 floribus ornatum variis et carmine notum.
 63 Hic est qui virtute auctus, crescentibus annis,
 64 ad magnos, ut dignus erat, subvectus honores ;
 65 hic nos securos depellere matribus haedos
 66 et tonsas jussit pecudes in fonte lavare,
 67 qua nostra Illyricis disternat arva Timavus
 68 quaque citis strepitans decurrit Mesulus undis.
 69 Hic gentes, Clitumne, tuas demulsit et iras
 70 compressit, firmans leges et foedera certa ;
 71 maximus hic demum atque ostro conspectus et auro
 72 pastor erit, sacro crines decoratus honore.
 73 Tum neque me Sicala vincet Montanus in Hybla,
 74 Tytirus aut patulae recinens sub tegmine fagi,
 75 spiritus accedet tantus sub numine magno.
 76 Nunc, quibus ante alii cantari dii quoque passi,
 77 ne contemne rudes numeros agrestis avenae.

ALBERTO EPISCOPO CALAMONENSI S.

C2_21 v.1 Saepe volens nostros, antistes optime, versus
 2 mittere, ne toto videatur pectore lapsa
 3 cura tui, cordis penitus radicibus haerens,
 4 non ego sum cultis umquam obstrepere auribus ausus ;
 5 nam me non parvis juvisti tempore in omni
 6 officiiis, longas tecum dum commoror horas
 7 Meduaci propter ripas et amoena fluenta,
 8 ipse autem ingenium admirans facundaque verba -
 9 quod poteram - tacita observans pietate colebam.
 10 Nunc demum incomptum nolis contemnere carmen
 11 vatis humo nimium se attollere ad alta timentis ;
 12 namque tuas alius laudes, Alberte, canendo,
 13 majori eloquio optatos acquirere honores.
 14 Mi satis est, veterum verso dum scripta virorum,
 15 vivendi recte si insistam limina prima,
 16 hic intus caelestis ubi sapientia regnat,
 17 quam miserata hominem divum dedit una voluntas.
 18 Me diversa tamen conantem invadere cursum
 19 proturbant, gressus nec eodem limite sisto :
 20 interdum patrios non jam liquisse Penates
 21 paenitet, ut terras peragrem pelagusque profundum,
 22 quodque docent monumenta oculis ut cernere possim ;
 23 interdum fera bella sequi sonitusque tubarum
 24 sub signisque aveo mediis versarier armis,
 25 sulphure cum praeceps accenso ferrues orbis

26 impete terribili celeres diverberat auras,
 27 illa volans latam stragem mortalibus infert,
 28 aut cuneos prosternit humi hostilesque phalangas.
 29 Nunc et amicitias regum, nunc principis aulas
 30 optarim, aggreditur si quando pectus iniqua
 31 ambitio : procul acta quies tum mente recedit.
 32 Tandem me studiis involvo et pectoris aestus
 33 ejicio : haec reparat nostram medicina salutem.
 34 Felix, cui primis risit sapientia ab annis
 35 et procul indocta jussit te vivere turba.
 36 Tum rerum noscis causas arcanaque fata,
 37 an caelum aeterno circumvolvatur in axe,
 38 an sit lapsurum quondam labentibus annis,
 39 quattuor ut variis distincta elementa figuris,
 40 hinc alimenta habet in terris genus omne animantum,
 41 hinc variae species, nec de tot deficit una.
 42 Heroum in primis tete doctrina deumque
 43 relligio tenuit ; genus hinc mortale docebas
 44 electum aurata ad complenda sedilia caeli.
 45 Ne quemquam pietas linquit, nec gratia parva
 46 subsequitur pia facta virum ; dignantur honore
 47 aethereo Christi vestigia sacra sequentes,
 48 negligit at quicumque dei immortalia dona,
 49 luce procul, densas tenebras submittitur Orci.
 50 O utinam liceat sacris sermonibus inter
 51 esse atque ex animo turpis divellere curas,
 52 pectore tum toto atque intentis auribus ista
 53 excipiam haud defecturo succensus amore.
 54 Spero equidem tales, nec sero, cernere fetus
 55 ingenii ; totum valeant qui, Alberte, per orbem
 56 ferre tuum nomen, manibus quos semper habebo.
 57 Te vero, in terris ornatum insignibus amplis,
 58 gloria ad aeternos tandem portabit honores.

C2_22 v.1 Tandem sidereo delabens Phoebus Olympe
 2 exceptit justas supplicis aure preces,
 3 non laeva ille gerens arcus, non spicula dextra,
 4 sed citharae cantus plectraque amata lyrae ;
 5 secum herbas secumque tulit succinctus odores
 6 et quicumque levat tabida membra liquor.
 7 Jam, Leonarde, vales : macies pallorque recessit,
 8 crura nec infesta debilitate labant.
 9 Primus hic ostendit medicas mortalibus artes :
 10 ante etenim nulli cognita dona deo,
 11 corpora queis tristi morbo servantur, et iisdem
 12 post redit amissus ad sua membra vigor.
 13 Ni fuerint, sine luce dies ageremus iniquis
 14 oppressi curis, luctibus et gemitu.
 15 Quid radiis solem terras lustrare juvaret ?
 16 Quid tenebras triplicem luce aperire deam ?
 17 Quid segetes Cererem, vites monstrasse Lyaeum ?
 18 Quid serere effosso dulcia poma solo ?
 19 Sed quoniam deus inventis nos muniit istis,
 20 delectant homines munera grata deum.

21 Hinc festas agimus luces, hinc saepe choreas
 22 jungimus, exsiliunt pectora pulsa modis.
 23 Hinc Venus exercet vires, hinc tela Cupido
 24 suggerit. Ah saevus te quoque fixit Amor !
 25 Quamvis nec melior quisquam vel tenderet arcum,
 26 dirigeretve hosti spicula adunca manu,
 27 immatura tamen mors cursum obtruncat acerbo
 28 stamine, falce mala quaeque inimica secans.
 29 Hanc neque qui cultos passim latuere : per agros
 30 effugiunt, neque qui moenia celsa colunt ;
 31 non prosunt gemmae mensasque onerantia vasa
 32 aurea, non mollem semper inire torum.
 33 Haec nos letifera insanos accendit ad arma,
 34 instigans facibus ferrea corda virum.
 35 Heu miserum genus ad gladios et proelia natum,
 36 non satis est alia fata subire via ?
 37 Non ita Getulum in silvis quatit ira leonem,
 38 in pecudes urget cum male suada fames ;
 39 non ita aper, summis aut acta e montibus ursa
 40 venantum contra Martia tela furit ;
 41 ipse ut mortalis bellum mortalibus infert,
 42 ardet enim magno turbine felle dolor.
 43 Ponite crudeles gladios, tela impia dextris
 44 ponite, nec Phoebi posthabeatur honos ;
 45 hic numeros docet ad citharam sociare poetas,
 46 hic facilem dominam reddere ab igne pari,
 47 hic iter ad Musas aperit vitreosque liquores,
 48 qua pia deducens carmina turba sedet,
 49 unde oritur laudanda quies et gloria vera,
 50 gloria, quae nullo tempore victa cadat.
 51 Felix, cui licuit fontes aperire beatos
 52 et viridi ornatum fronde operire caput ;
 53 tum vitium procul omne et turpis pellere curas
 54 ingenioque artes excoluisse juvat.
 55 Ille quidem, maculas exutus, crimina versans
 56 nulla, sibi ad caeli limina pandit iter ;
 57 ergo Latous merito dicatur honore,
 58 sive attollit equos aequore sive premit.
 59 Ornentur lauro postes, ornentur et arae
 60 floribus ; ante alios, dulcis amice, fave.
 61 Te deus, e tenebris revocatum immanibus Orci,
 62 incolumem voluit lumine posse frui,
 63 Lydia quo gaudet fulvos incompta capillos,
 64 laedebat teneras quae modo maesta genas ;
 65 nunc demum roseum pectus niveasque papillas
 66 exornat strophio, nunc ligat arte comas,
 67 queis tibi non facili superaddit vincula nodo,
 68 pastori ut quondam Thessala nympa deo.
 69 Quamvis illa fuga pernici fugit amantem,
 70 tu juveni optatos, Lydia, pande sinus ;
 71 namque, tuis precibus commotus, Delius ipse
 72 concordet uno vos jubet esse toro.
 73 Instaurate igitur laudes, date thuris honores
 74 contentique bona vivite sorte diu.

C2_23 v.1 Janus adest, anni qui primus in ordine mensis
 2 dicitur a populo, Martius ante fuit.
 3 Sed nos a Jano melius primordia pacis
 4 ducimus, a bellis ut procul annus eat :
 5 Lux igitur festo haec passim celebretur honore,
 6 Gaudia nec desint, cum choreisque joci.
 7 Nunc demum humentes subvertit Aquarius urnas,
 8 ut primum ignivomos accipit hospes equos.
 9 Phoebe, pater rerum atque astrorum maxime princeps,
 10 qui regis imperio tempora quique diem,
 11 quod petimus votis, anni concede quietem.
 12 Lux velut haec hodie praetereunda venit,
 13 temperie aetherea gravidas amplectere terras,
 14 frigora neu laedant corpora, neve calor ;
 15 jam tepidas auras per prata emitte Favoni
 16 floribus utque nova veste coloret humum.
 17 Claude tamen gelidi Boreae prius horrida flabra,
 18 injiciens madido fortia vincla Noto,
 19 ne tenerae segetes imbri perdantur amaro,
 20 uva nec horribili grandine laesa cadat.
 21 Dira fames tandem, Stygiis emissa cavernis,
 22 pulsa iterum exolvat pectora nostra metu,
 23 quo nullum terris crudelius immiserunt
 24 dii monstrum, humano supplicium generi.
 25 Haec mala pelle, pater, nostros miserate labores,
 26 nam potes, et factum gratia magna manet.
 27 Nunc tibi thura sacris orantes urimus aris
 28 et manibus junctis te pia turba vocat,
 29 ac tibi post laudes dicemus munere tanto
 30 quae certo maneant annua sacra die.

IN OBITU MARIII TURSII

C2_24 v.1 Musa fave, exstinctum dum nos lugemus amicum,
 2 littera ut in tumulo fata superba notet ;
 3 nunc flevisse decet, nunc atra cingere vitta
 4 tempora, nunc comptas dilaniare comas,
 5 si vestras libavit aquas, primo impiger aevo,
 6 dulcia quaesitae munera frondis amans.
 7 Crudeles Parcae, quae mollia stamina fuis
 8 volvitis ut saevo mox soror ungue secet,
 9 nec vos longaevis, juvenum nec parcitis ulli,
 10 cum libet humanum perdere morte genus,
 11 eductae Stygiis antris et nocte silenti
 12 aeternum ut nobis immineatis onus.
 13 Quid meruit juvenis, qui laudum captus amore,
 14 praemia jam referens, cur cadat ante diem ?
 15 Ille voluptates spernens florentibus annis
 16 virtutem aggressus est, juga summa petens
 17 Trojanique ducis muros Patavina subivit
 18 moenia, quae cunctis gentibus hospitium,
 19 sive quis eloquii constanti exardet amore,
 20 dicat ut ornate dicta habeantque fidem,

21 quaerere seu rerum causas et sidera nosse,
 22 omnia divina quae rata lege fluunt,
 23 seu medicas mavult artes herbasque salubres
 24 ferre laboranti ut dextera possit opem.
 25 At Marius leges, veterum monumenta virorum,
 26 perdidicit, noctes invigilansque dies,
 27 legibus aequa etenim nec non censentur iniqua,
 28 quid meruere mali, quid mereantque boni :
 29 hae populis dant jura, regunt urbesque domosque,
 30 civibus unde oritur gloria vera suis.
 31 Vix metam attigerat cursu defessus anhelio,
 32 necdum etiam rediens solverat inde ratem,
 33 ecce autem furiosa manus Martisque ministra
 34 ense gravi juvenis pectus inerme fodit.
 35 Heu crudele genus, meliores spernitis artis,
 36 vos gladii tantum, vos fera bella juvant !
 37 Moribus insignem et veris virtutibus auctum,
 38 ah juvenem immeritum, dextra nefanda necat !
 39 Diruere haec eadem veterum simulacra deorum
 40 audeat, ex aris aurea dona ferens,
 41 et sacra marmoreis exurere templa columnis.
 42 Esse putatis enim numina nulla deum,
 43 at sceleris vestri poenas sperate futuras
 44 aequales ; fallit nec pater astra tenens.
 45 Nam, procul a patria, sontes Bellona flagello
 46 in ferrum, in flammis praecipites rapiet ;
 47 corpora at hinc avidae jaceant inhumata volucris,
 48 per noctemque feris praeda petita lupis.
 49 Interea hae lacrimae atque imo de pectore ducti
 50 mi gemitus nostri testis amoris erunt ;
 51 carmina sic utinam durent mea tempore longo
 52 ut celebrent nomen saecula multa tuum.

C2_25 v.1 Hic Cassandra jacet, gentis cognomine Crescens,
 2 cumque illa ante diem forma superba jacet ;
 3 crescere si nitido potuissent pectore poma,
 4 lac niveum ante irent purpureasque rosas,
 5 sed spem destituunt natae pulchra ora parentum
 6 sideribusque oculi luce nitente pares.
 7 Impediunt divae mortalia fila legentes
 8 ulterius vitae munere posse frui.
 9 Hoc moreris, Cassandra, deas ne vincere detur
 10 mortali : tecum est virginitatis honos.
 11 At tibi sit segura quies : nam carmine vives,
 12 nomine post mortem stamina nulla timens.

C2_26 v.1 Quae Virgo regem peperisti hominumque deumque,
 2 aure pia nostras accipe, diva, preces ;
 3 imbribus optatis rebus succurrite egenis,
 4 dum licet ex alto, tuque puerque tuus.
 5 Hoc praestare potes, nec fas est credere cuiquam
 6 quod semel optaris vota perire tua.

7 Artificis manibus sacrata hinc stabis in aede,
8 aurea cum nato conspicienda tuo.

C2_27 v.1 Hac carpis quicumque viam, dispendia nulla
2 hinc tibi ; sacra libens templa, viator, adi,
3 atque deos veneratus aqua consperge salubri
4 hunc tumulum et verbis rite precare bonis.
5 Sit tibi grata quies, Hieronyme, culte sacerdos,
6 albus cessit olor cui moriente sono :
7 tales saepe dabas mira dulcedine cantus,
8 infestus curis laetitiamque sequens.
9 Utque procul vanis defunctus litibus esses,
10 optasti tumulum hunc editiore loco,
11 non tamen effugies strepitus sine fine rudentes
12 quaeque sacerdotes jurgia inire solent.
13 Ergo quies aliunde tibi sit, culte sacerdos,
14 et sileat paci vox inimica tuae.

AD HERCULEM CRESCENDOLUM

C2_28 v.1 Quid juvat undantes singultus mittere corde
2 sollicito et lacrimis usque rigare genas ?
3 Nulli fas superum ad limen vestigia ferre,
4 qui semel aethereo lumine cassus erit.
5 Ipse etenim quanto tenearis amore tuorum
6 jam nihil in tota notius urbe reor ;
7 juvisti officiis vivas matrem atque sororem,
8 defunctas sequeris nunc pietate pari.
9 Quem tamen impones lacrimis finemque querelis ?
10 Anne dies longis est medicina malis ?
11 Femineae haec propria est turbae, si vera loquamur,
12 non etiam utuntur qui ratione virum.
13 Non tibi funestus soli est lacrimosus et annus,
14 verum etiam multis jure dolendus erit,
15 nam quamquam eripuit matrem caramque sororem,
16 cuique sua incumbit funeris atra dies.
17 Hic primo vitae spatio, juvenilibus annis
18 ille, senes pauci, quos inimica cohors
19 pallentum insequitur morborum, dira senectus
20 quae cupidis longae donat habere morae.
21 Ergo quid melius : juveni si fila resolvunt
22 anne seni Parcae ? Dic mihi, amice, precor.
23 Quod, si vera canunt in relligione magistri,
24 aurea Christicolis templa patere deum,
25 qua pater omnipotens immenso despicit orbem
26 lumine, quem circum stat glomerata cohors
27 laetitia exsultans, huc ascendisse parentem
28 crediderim, nata pone sequente sua.
29 Sedula nam vixit, Laribus contenta pudicis,
30 multiplici telas pingere docta manu,
31 instituens semper laudatis moribus auctam
32 progeniem, exemplis non aliunde datis.

33 Non ergo humentes lacrimas gemitusque requirunt ;
 34 turbatur potius hac ratione quies.
 35 Terge oculos, ne forte tuae non fata parentis
 36 lugere ast aliquis commoda adempta putet.
 37 Tum non Herculeo te incassum nomine dicam
 38 ornatum, assuescas qui mala ferre puer.

C2_29 v.1 Mercurius forte e caelo descenderat alto,
 2 nube latens, Romae constiteratque foro ;
 3 coeperat ingentem Cicero tum dicere causam,
 4 facundo ingenium iudicis ore movens.
 5 Quo deus audito, attonitus, facundia dixit
 6 nostra minor : "Merito est hic deus eloquii."

C2_30 v.1 Anne Maro hic situs est qui carmina lusit, avena
 2 rustica qui cecinit Troicaque arma virum ?
 GENIUS
 3 Hic ille est, Phoebus genitus, quem Musa sub auras
 4 clam tulit et Minci margine nympha fovet.
 VIATOR
 5 Anne dei invisunt nigra Tartara lumine cassi ?
 6 Quid genitum magno profuit esse patre ?
 GENIUS
 7 Quod satus in terris moritur, sed carmine Phoebi,
 8 quo puerum ornavit, saecula nulla timet.

C2_31 v.1 Rura hodie peragro cantu viscoque tenaci,
 2 ut volucres blanda decipiam arte, latens.
 3 Vos, Satyri, quorum agrestes sub numine silvae,
 4 si vacat intenta percipere aure sonos,
 5 afferte auxilium, dum bubo attollit in herba
 6 cervicem et circum quaque feruntur aves.
 7 Constituam ipse aram florenti e cespite sacram,
 8 pastorum semper quam pia turba colat.

DE INTERITU FABRITII COLLORETANI

C2_32 v.1 Carmine quo miserum deflebo funus amici ?
 2 Unde orsum accipiam ? Qui mihi finis erit ?
 3 Nam dolor injecit confusae vincula menti,
 4 hinc stupet, officio non satis apta suo :
 5 ora rigant lacrimae undantes, quarum omnia lapsu
 6 delentur calamo scripta notata meo.
 7 Non tamen absistam (dabitur quaecumque potestas)
 8 clara sui ut reddat pignora noster amor.
 9 Sed quae longaevo solatia ferre parenti ?
 10 Quae miserae matri carmina nostra queant ?
 11 An fratrum luctus gemitu comitabor amaro,
 12 an studeam tanto corda levare malo ?
 13 Heu cunctos dolor unus habet ; vos nomen amici,

14 Pierides, saltem ferte per ora virum.
 15 Nec timeat nigras Lethaei gurgitis undas
 16 parte atram superet sed meliore necem.
 17 Quis furor, immites Parcae, praecordia duro
 18 obstrinxit ferro, cum scelerata manus
 19 abrupit fila ante diem ? Sed parcite, quaeso,
 20 seu colitis caelum, Tartara sive, deae,
 21 Tartara sed potius ; nec enim caelestibus umquam
 22 invidiam tantam crediderim esse animis
 23 ut juvenem immeritum raperent, qui criminis expers
 24 excoluit sancta relligione deos,
 25 qui vitam in studiis ageret, qui discere legum
 26 praecepta optaret, jusque fidemque colens.
 27 Heu tua tu quantis ornasses tecta triumphis !
 28 Heu quae Fabritium fama sequuta foret
 29 si patria acciperet reducem intra moenia alumnum,
 30 addita cum capiti laureaserta tuo
 31 sidera si patrio te olim succedere honori
 32 amplaque virtutis pandere signa darent,
 33 sed decus hoc proprium esse diu non passa parentum,
 34 frustrantur patriam spemque tuamque domum.
 35 Heu, nihil in terris longo manet ordine firmum !
 36 Heu, nimium in praeceps sors sua quemque rapit !
 37 Discite, mortales, humanam temnere vitam,
 38 sperantes magni dona beata dei,
 39 quae quondam omnipotens humanos sumere vultus
 40 sponte volens jussit esse parata bonis.
 41 Hunc igitur juvenem, aeterno qui crimina motu
 42 expendis vitasque, accipe, ad alta vocans,
 43 si nullis maculis nulloque infecta veneno
 44 candida gestabat corda, nitente animo,
 45 si nostris locus est precibus, mortalia si te
 46 vota movent, passim quae pia turba facit.
 47 Sit levis interea tellus tibi ; copia florum
 48 exornet tumulum, dulcis amice, tuum.

HOSPES

C2_33 v.1 Sic tibi non onerosa suo sint pondere saxa,
 2 sic parta aeternum pace fruare libens.
 3 Jane, refer vere an sit felix vivere longum
 4 an tempestiva fata subire die.

IOANNES

5 Si dominam tollas fortunam rebus opimis,
 6 nemo adeo in terris negligat esse diu,
 7 sed vitae ambiguo cursu fateare necesse est,
 8 optandum primo limine posse mori.

HOSPES

9 Certa fides senibus, qui longa aetate periti
 10 sunt rerum, incerta quas parit ordo vice.
 11 Stultitia ergo omnes premimur, qui denique verum
 12 supremum ante diem credimus esse bonum.

AD MARQUARDUM SUSANNUM

C2_34 v.1 Quod mirere tuum nihil est, Marquarde, Cichinum
 2 te incultis numeris visentem tardius, ut qui
 3 explere officio est caros assuetus amicos :
 4 nam quamquam cuperet confectos reddere versus,
 5 queis animum tibi devinctum monstraret aperte,
 6 non tamen ille tuos oculos offendere et aures
 7 iudicii plenas est ausus murmure rauco.
 8 Postquam cunctantem securum reddis amicam,
 9 non adeo oppressum tenet imprudentia pectus,
 10 ut spernam ipse tuos ascribier inter amicos,
 11 sum quorum ingentem numerum non nescius esse ;
 12 quique domum celebrent, patronum quique saluent
 13 deducantque foro turba stipante clientum,
 14 cum consulta petunt dubiis pro tempore rebus,
 15 si quando aggressa est hominum imprudentia mentes,
 16 ut studeant aliena suos convertere in usus,
 17 divitis atque auri in praeceps rapiantur amore.
 18 Ast alii, tantum allecti virtutibus amplis,
 19 numquam delendum gestant in pectore nomen,
 20 inter quos aveo dici non ultimus, usque
 21 qui te admirantur teque omni tempore laudant.
 22 In vulgus sed quid notissima ferre necesse est ?
 23 Quis mentem accingat candor probitasque fidesque ?
 24 Quanta etiam exornet doctam facundia linguam,
 25 quam paris incipiens fontes haurire beatos
 26 primitias Musis ut des virtutis amatae,
 27 hanc auges posthac adiens Antenoris urbem, (Patavium / Padoue aurait été
 28 antiquum hospitium doctas quaerentibus artes : fondée par Antéonor,
 29 namque huc deveniunt Tanais quos mittit ab Arcto, roi de Thrace)
 30 Europam atque Asiam ingenti qui terminat alveo,
 31 quique sedent contra septemplicis ostia Nili,
 32 Gallia quos dives nec non Hispania pascit
 33 bellatrix, nimium heu nostris cervicibus instans,
 34 aequora nec metuunt turbata viaeque labores
 35 tam cupiunt laudem : pulchra est sapientia tanti
 36 hinc merito eloquii legumque peritus haberis,
 37 dicendo insertus primis causisque tuendis,
 38 nec sinis indicta quemquam succumbere causa.
 39 Non tamen aut Musas studia aut humana relinquas
 40 ludere versiculos teneris assuetus ab annis,
 41 quamvis consilii plenum et rationis honestum
 42 distineant semper diversa negotia pectus,
 43 unde tibi debetur honos et gloria duplex,
 44 quod placidam mentem summo cum jure benignum
 45 commiscere juvat te semper, sumere carmen
 46 qua nostrum optarim, modo si non otia desunt.
 47 Haec tibi Martini festis dictata diebus
 48 mitto, laeta deum celebrat dum cetera turba,
 49 non laudem ut quaeram, quae doctis apta poetis,
 50 nec decus ut crescat tibi, quod praestare satis non
 51 sum potis, ast animum ut cognoscas rite dicatum,
 52 ad bona amicitiae me postquam jura vocasti.

IN DIVAM LUCIAM

C2_35 v.1 Lucia, virginitas cui tantum candida cordi
 2 quam non invita es pollicita ante deo
 3 ut nivea evelli patereris lumina fronte,
 4 quae juveni insano munera grata feras,
 5 ad tua templa veni spectatum luce nitenti
 6 dat prompta ut populus cerea dona manu
 7 teque rogat, supplex, praeses quia luminis esse
 8 diceris, ut serves lumina nostra diu,
 9 si canimus lucem divum tibi munere rursus
 10 concessam, laudes si, bona diva, tuas.

AD APOLLINEM

C2_36 v.1 Auricomo exoriens qui vertice sidera pellis,
 2 collustrans radiis aequora lata tuis,
 3 Phoebe, preces audi pastorum, rebus egenis
 4 auxilium una omnes, dive benigne, rogant.
 5 Temperiem serva, depellens nubila caelo,
 6 ne matris glacies viscera magna premat ;
 7 claude Eurum objicibus duris Boreamque nivalem,
 8 neve fame pereant, frigore neve, greges.
 9 Te quoque formosos dicunt pavisse juvencos,
 10 et tuus agresti est carmine dictus amor.
 11 Nunc nos lactentem vitulum mactamus ad aras,
 12 post dabitur taurus victima grata tibi.

C2_37 v.1 Dum pia relligio infando versatur in aestu
 2 sublimique ingens terret ab axe malum,
 3 praestantem eloquio et sapientem pectore nulla
 4 purpurei optarunt te ambitione patres,
 5 qui demum afflictis posses succurrere rebus
 6 infectaque gravem tollere mente luem.
 7 Permisit pater omnipotens hos crescere motus,
 8 spreta quod in terris fert male sacra deum,
 9 infracto ut melior labentem cardine molem
 10 excipiat cardo sustineatque diu.
 11 Vade itaque, auspiciis hominum comitate deumque :
 12 te divinus honos, nos manet alta quies.

AQUILA IN LAPIDE

C2_38 v.1 Me lapidi affixam Juno detrusit Olympo,
 2 cum domino sciret te placuisse meo.

AD CELSUM BELLINUM ROMANUM

C2_39 v.1 Donasti cervam, silva quae pascitur alta,
 2 hanc valeas aevo vincere, Celse, tuo ;
 3 at mihi Pierides dent sacros scandere montes,
 4 ut valeam Celsum tollere ad astra meum.

CELSI BELLINI ROMANI

C2_40 v.1 Quae varias pennis potis es superare volucres,
 2 ad dominam, quaeso, magna trophaea feras,
 3 ut, velut haec juvenum sensus furatur ocellis,
 4 frigida sic noscat corda movere senum.

C2_41 v.1 Adeste, o juvenum venustiores,
 2 qui passim celebres avetis esse
 3 Tusco carmine nec minus Latino,
 4 at procul jubeo hinc abire avaros
 5 qui se muneribus libidinosi
 6 prosternunt, nec amant bonos poetas.
 7 Nam, cinctus varia caput corona,
 8 vester deliciis vacans jocisque,
 9 dat vates placitum deo Priapo
 10 munus, quo dederunt recentiores
 11 nullum commodius decentiusve.
 12 Quare adeste novae dicationi
 13 Lyde, purpureis genis comaque
 14 aurea nitido nives colore
 15 aequans, Lygdame, tu Fabique, grato
 16 semper ore ferens novos lepores.
 17 Velamen rubeum, Priape, in hortis
 18 non semel precibus vocate nostris,
 19 nutu suscipe perlubens secundo :
 20 braccatum esse decet deum pudicum,
 21 optant ut juvenes puellulaeque,
 22 qui mores cupidi bonos sequuntur.
 23 Nec ferro rigidam induere frontem :
 24 hoc tutum rapido, Priape, ab aestu
 25 reddet, hoc hieme et nive et pruinis.
 26 Nec ultra objicient severiores
 27 te quondam patria expulisse cives,
 28 cum tectum aspicient pudenter inguen,
 29 quare munera jam, Priape, vatis
 30 nutu suscipe perlubens secundo.
 31 Vos, novae pueri dicationis
 32 testes, quandoquidem deo favetis,
 33 doctorum celebres virum per ora
 34 aeternum volitetis et decori,
 35 postquam estis juvenum venustiores.

C2_42 v.1 Quae liquidum nitidis speravimus aera pennis
 2 carpere, nec Veneris colla negare jugo,
 3 nondum aptae plumis alta convellimur ambo
 4 sede : magis dominae victima nulla placet.
 5 Hinc tibi, nate dea, dum pascua nostra revisis,
 6 mittimur imperio te venerantis heri,
 7 non herus haec melius poterat dare munera cuique,
 8 nostra deae aut alio fata placere modo.

C2_43 v.1 Huc felix natalis ades visurus honores,
 2 quos festa exsultans dat tibi luce Mycon.
 3 Pastorem sobole auxisti : Benedicta tenellum
 4 edidit. Excipiens affuit alma Venus,
 5 hinc gremio fovit Pallas doctaeque sorores
 6 et celer ingenium donat habere deus,
 7 ut valeat patrias artes perdiscere et una
 8 pascere jam partos per nemora alta greges.
 9 Ergo libens natalis ades memorande quotannis,
 10 qui pastori una das bona mille die.

AD CELSUM BELLINUM ROMANUM

C2_44 v.1 Quid mea mordaces laceratis pectora curae ?
 2 Quid misero quatit corda revulsa sinu ?
 3 Non mihi securos posthac conceditis annos,
 4 ut dederunt primo numina flore deum,
 5 nam varie mentem transversam ducitis, inde est
 6 explere officium non satis apta suum.
 7 An tacitis animo stimulis mandata refertis
 8 carpere iter Celsum constituisse meum ?
 9 Ut penitus solae desint solatia vitae
 10 atque animae caream parte priore meae.
 11 Hoc reor, ante oculos non frustra errabat imago,
 12 sive daret Phoebus lumina, sive soror.
 13 At cum rorantes agitat nox atra quadrigas,
 14 sopitum excipiunt somnia mille animum :
 15 nam modo difficiles videor transcendere montes,
 16 nunc rapida actutum flumina trajicere,
 17 currere nunc lateri figens calcaria equino
 18 et pedibus longam nunc superare viam.
 19 Romuleam ingressus longo post tempore in urbem
 20 lustrabam intentis moenia magna oculis
 21 et juga circuitu septem mirabar in uno
 22 claudere Tarpeio non bene fausta duci ;
 23 templa deum aspicio atque arcus magnumque theatrum,
 24 cum titulis tumulos nobiliumque virum.
 25 Hinc fessum amplexus pater est Tiberinus in ulnis
 26 rettulit et veterum maxima facta ducum,
 27 ut patria innumeros vigeat servata per annos,
 28 cui propriam cives posthabuere animam.
 29 Nam medios Decius moriendi certus in hostes
 30 majorum exemplis impulit acer equum ;

31 ter centum Fabii exsurgunt tot millia contra
 32 fortiter in Poenos Scipiadamque genus ;
 33 Curtius implevit fossam pontemque revellit
 34 Cocles, vincla timens Clelia navit aquas.
 35 Tum vero obstupui victus fulgore nitenti,
 36 cum objecta est oculis curia sacra meis,
 37 purpureos inter proceres ubi sedibus altis
 38 concilium magnus pastor habere solet,
 39 ne pia relligio metuat dispendia et ingens
 40 jam sileat veniens ex Aquilone malum.
 41 Luminibus cernens haec ante incognita nostris,
 42 haerebam lateri, Celse benigne, tuo :
 43 filia sic haeret caro pudibunda parenti,
 44 parvus in externa sic regione puer.
 45 Ne me igitur tanto curarum desere in aestu,
 46 qui timeo, quamvis omnia tuta tibi.
 47 Ne rapidi ah soles noceant noceantque labores,
 48 cum faciant annis tempora cana gravem.
 49 O utinam comitem et socium ad tua vota vocares,
 50 ut tibi sim custos, fidus et usque vigil !
 51 O utinam proprios tecum partirier annos,
 52 aut acto liceat te revocare gradu,
 53 ut pariter placidam fas esset ducere vitam
 54 atque eadem tumulo clauderet hora duos !
 55 At tu iter interea dimitte, tuumque Cichinum
 56 visere ne pigeat Faganeosque Lares,
 57 qui primum excipiunt, alta cum ex arce repente
 58 effugis irati tela timenda dei.
 59 Hic nemora, hic saltus, hic sunt florentia prata,
 60 hic vitrei fontes prosilientis aquae ;
 61 non molles desunt aurae Zephyrique salubres,
 62 queis calor umbrosis frangitur usque locis.
 63 Interdum latis lepores agitabimus agris,
 64 interdum insidiis excipiemus aves.
 65 Principis immerito commota in te ira quiescet,
 66 cum repetet Celsi tot benefacta sui,
 67 a teneris annis ad canos usque capillos,
 68 quem sequeris domini post pia fata senis.
 69 Nec patriae sedes umquam tenuere, nec ulla
 70 commoda, posthabita reque domoque tua,
 71 servitio suavi quin praesto, nocte dieque,
 72 sedulus, observans jussa aliena, fores.
 73 Jam revocat facilis bipatenti limine ad aulam
 74 jamque parat solitas dicere blanditias,
 75 nam neque cor gestat ferro aut adamante revinctum
 76 iratosque diu non decet esse deos.
 77 Tu modo festina sacrae ferre oscula palmae.
 78 Sit mihi tecum una gratia parta dei :
 79 tum nos securi ventos spernemus et undas,
 80 tuta bono in portu cum tua puppis erit.

C2_45 v.1 Confecto Augusti sol rettulit orbe Calendas,
 2 omnibus est passim quae celebranda dies,
 3 marmoreis seu tecta colunt innixa columnis,

4 dulcia seu potius rura humilesque casas,
 5 hanc nos cum lusu, Venere atque Cupidine agamus,
 6 dum placidis vinclis dulcis amica tenet.
 7 At quicumque gerit tristes in pectore curas,
 8 sive cupit magnos ambitione gradus,
 9 gaudia perturbet ne nostra jocosque solutos,
 10 sit procul : a mensa fastus abesse solet.
 11 Tuque, puer, lautas epulas appone libensque
 12 funde coronato pocula plena mero,
 13 vitiferi colles quod dant oleaeque feraces
 14 non procul a Burio Rosaceisque jugis :
 15 vina animos laxant fecundaque verba ministrant,
 16 ejicitur vino pectore saepe dolor.
 17 Pontanus referat felices laetus amores,
 18 Riccardus dominae dulcia furta suae
 19 fronteque Maurisius rigida, sed mente serena,
 20 dicat ab invita basia rapta Nape ;
 21 his comites risus sermonibus atque cachinni
 22 laetitiae ingentis maxima signa dabunt.
 23 Tu quoque, Celse, tui non ultima cura Cichini,
 24 huc ades actutum, si tibi rura placent :
 25 rura coquunt largas messes explentque colonos,
 26 immensae ut segetes horrea onusta premant.
 27 Rura ferunt uvas ; fumosus dolia Bacchus
 28 exsuperat, desunt vincula saepe cadis.
 29 Rura etiam innumeros lusus diversaque donant
 30 gaudia, queis genius, queis Charitesque favent.
 31 Et, bene si novi, curis infestus amaris
 32 tu lepidos gestas semper in ore sales,
 33 hic nostros in fronte sedens censebis amores,
 34 dissimilem quamvis cana senecta facit.
 35 O si etiam Musis Abstemius adsit amicus,
 36 quis me uno his sociis laetior esse queat ?
 37 Ante tamen frontem explicet ille severaque verba,
 38 linquat projiciens pocula sicca rogo ;
 39 Pontani interea factum memorabile dicam,
 40 quo canis Hyleus percutiente cadit,
 41 Hyleus, qui latratu perterritus omnes,
 42 tam rabido semper dente timendus erat.
 43 Ante alios urgens cupidos odiosus amantes,
 44 quos procul observans bella puella sedet.
 45 O quoties pavidas vetuit consurgere lecto
 46 hic timor, at multa nocte redire domum
 47 cogimur extento nequicquam pene ; Cupido
 48 improbis elusos risit et alma Venus.
 49 Irato o quoties caedem sumus ore minati,
 50 per nostrosque oculos per dominaeque comas !
 51 Nec satis hoc : in nos infrendens ore ruebat
 52 artubus ut nostris expleat ille famem.
 53 Pontanus rabiem fregit mucrone corusco,
 54 ilia transadigens et fera terga canis :
 55 ter saltu sese moribundus ad aethera librat,
 56 ter cadit in praeceps denteque mandit humum.
 57 Cerbere, jam morsus acue, aut tu desere limen,
 58 janitor, obscurum, nam ferus hostis adest.
 59 Non tibi cum pavidis res atque exsanguibus umbris,

60 cum rabido est atrox pugna futura cane.
 61 Eumenides, frustra torvum caput angue revinctae,
 62 mergite jam Stygio verbera torta lacu
 63 tuque, Charon, parvae si cura est ulla carinae
 64 et sapis, hanc conto litore pelle procul ;
 65 non tua canities, non illum barba moveret
 66 hispida, terribilis obvia cuncta petit.
 67 Vos mecum dulces socio gaudete sodales,
 68 quod peperit victor magna trophaea sibi
 69 inque intrate vicem spumantia pocula, dum nox
 70 occupet hesterno lumina victa mero.

C2_46 v.1 Quae medium collem nostri tenet arbor agelli,
 2 insita avo domino, dulcia poma tulit,
 3 queis similem ob formam dat longa cucurbita nomen,
 4 seu Syriae antiqui sive volema vocent.
 5 Haec tibi donentur mensis oblata secundis,
 6 dum niveos pascis, Mopse beate, greges ;
 7 munera ne temnas exilia, magna dabuntur
 8 fertilior quando noster agellus erit.

C2_47 v.1 Haec tibi dat Lycidas, fecundi cultor agelli,
 2 Corna fere Alpina candidiora nive,
 3 quae specie rara sunt nostri ruris ocelli
 4 namque extra passim sanguine mixta rubent.
 5 Sume libens, magni pastoris maxima cura,
 6 Tytire, Iulei gloria honorque soli.
 7 Arguet insignem purus tibi candor amorem,
 8 constantem interior arguet esse lapis.

C2_48 v.1 Qui noctem excubiis exerces voce canora,
 2 discutiens certa somnia nostra vice,
 3 galle tace, domino si gratior esse requiris,
 4 ut tibi det facili dulcia liba manu.
 5 Nam quoties dominam teneo complexus, iniqua
 6 voce canens, inter gaudia nostra secas.
 7 Galle tace, semper sic victor ab hoste recedas,
 8 sic volucrum faveat grata caterva tibi.

AD PRIAPUM

C2_49 v.1 Quod summo reddis languentem vertice penem
 2 incolumem, auxilio saepe vocate meo,
 3 dive, tibi ramo suspenditur hic sacer alto
 4 buxeus, eximia ductus ab arte fabri,
 5 cui gemini haerentes verum testantur honorem
 6 nudatumque gerens te colit ipse caput.
 7 At non parva manet Pontanum gratia nostrum,

8 cui curae ante alios nostra erat una salus :
 9 cultor hic hortorum sit, dive Priape, tuorum,
 10 dux hic consiliis sit, precor, usque meis.

C2_50 v.1 Arrisit vultu longum, Beltrame, sereno
 2 sors tibi, divitias commodaque ampla ferens.
 3 Negligis haec, cupiens elato pectore famam
 4 quaerere, ne nomen mors ferat atra tuum.
 5 Marrani dominum paucis dedit esse diebus
 6 sors eadem, ejectum ut perderet hora brevis.

AD DIVAM CATHERINAM

C2_51 v.1 Labere diva polo, pulcherrima labere, nostris
 2 ut precibus faveas, ad tua sacra veni.
 3 En populus genibus veneratur numina pronus,
 4 attollens palmas, lumina ad astra tenens,
 5 dum, Catherina, tuus pura cum veste minister
 6 primum dat supero debita dona deo.
 7 Deinde refert meritas laudes ut flore juventae
 8 ingenio es magnis anteferenda viris,
 9 imperia accersunt quos undique saeva tyranni,
 10 eloquio audentes te superare suo,
 11 humana sed enim data quod facundia major,
 12 coguntur vinctas post dare terga manus.
 13 Praemia sint quamvis victoribus ampla parata,
 14 sint dirae victis tristia dona necis,
 15 quae tibi pollicitus tunc munera rex malus, audens
 16 virgineum pectus sollicitare prece
 17 ut veterum coleres fallacia numina divum
 18 utque tua caderet victima caesa manu.
 19 Ipsa sed aeterno mediis capta igne medullis
 20 sprevistis illecebras deliciasque tori,
 21 nec metuis tenebras, nec vincula carceris atri,
 22 nec quae terribili volvitur orbe rota,
 23 hanc tamen omnipotens discussit et impete vasto
 24 perdita sunt subito millia multa virum.
 25 Tam benefacta valent hominum, tam accepta pudica
 26 caelicolis mens est virgineusque decor.
 27 Nonne haec regales thalamos pia gratia vincit,
 28 nonne aurum et gemmas marmoreasque domos ?
 29 Omnia nobilium, quae tu post fata parentum
 30 linquis pulchra, haeres, mille petita procis.
 31 Salve virginitatis honos, pueri atque puellae,
 32 exemplo hoc moniti, candida corda gerant.
 33 Non ego Dianae posthac nec Apollinis arcus,
 34 Palladis aut frustra numina vana colam ;
 35 carmine te aestivis horis, Catherina, vocabo
 36 teque etiam hibernis. Huc, bona diva, veni
 37 terrenisque regas vestigia caeca tenebris
 38 et capiti vatis deme pericla tui,
 39 virtute illustrans vitiosum pectus honesta,
 40 pes celer hic vitae dum breve currit iter,

41 ne Stygias animus luce extrema horreat umbras,
 42 sed citius superas fas sit adire domos.
 43 Interea populo crudelem averte procellam
 44 Germanaque malam quae ruit Alpe luem,
 45 ut celebrent mage gaudentes tua sacra quotannis
 46 et meritis templis exhibeatur honos.

C2_52 v.1 Versavit dubio jamdudum pectore mens, an
 2 si numeris te compellem sim sanior, ane
 3 praestantem gravitate virum sim insanius audens
 4 cygnum anser veluti strepitu turbare canorum,
 5 nam te cum tantis ornatum dotibus atque hoc
 6 aevo jam canis, Aegnati, albere capillis
 7 intueor, dubius sum animi mage, ne mihi nugas
 8 sit juveni fas et ludicra afferre severo ;
 9 hortatur vero pietas tua, qua simul omnes
 10 prosequeris, qui te observant, hic ut procul omnis
 11 sit timor, hinc liceat tuto recludere mentem.
 12 Te noscas igitur mediis haesisse medullis
 13 egregium nomen cum primum perculit aures,
 14 Julia praecipue cum lustras aequora et urbes,
 15 cum Contareno sapienti et pectore et ore
 16 et vos laudatos nostra dimittimus arce,
 17 quae caput extollens, Grimano principe, Ledram
 18 Tiliaventeis immistam prospicit undis,
 19 teque adeo Veneta multo post tempore in urbe
 20 vidimus ingenuis formantem rite juventam
 21 moribus, usque mones deceat quid, quid renuendum,
 22 ut teneros decorent veris virtutibus annos
 23 et sibi praesidio et caris sint civibus atque
 24 eloquio insignes laudatisque artibus ampli.
 25 Quod vero accersam tempus ? Nullum aptius hoc est
 26 contendam auxilium ut tanto mihi pectoris aestu,
 27 quod tu tam prompte praestare es suetus amicis.
 28 Jampridem externas properat perquirere terras
 29 exoptans animus cupidus succurrere ocellis,
 30 aut totam Europen peragrarere, aut denique partem,
 31 nec solus quisquam aggreditur, sine sumptibus amplis,
 32 longum iter et furvis latronibus est male tutus
 33 ingratakue viam fidis sine carpit amicis,
 34 ergo oratori Veneta de gente libenter
 35 me comitem adjungam, seu Romuleas petat arces,
 36 Pastoris magni sacris det ut oscula plantis,
 37 divitiis seu regem adeat populisque potentem,
 38 qui Morinos regit et Rhodanum magnumque Garumnam
 39 aeriasque Alpes, Italis confinia campis,
 40 nec minus Hispanas gratum esset visere terras,
 41 quae procerum longe majori Christigenarum,
 42 haud equidem invitae, parent et vertice regnis
 43 innumeris super exstant imperioque fruuntur,
 44 jamque iterum Numidis sitientibus arma movere
 45 praeparat, ut tutum fessis sit denique nautis,
 46 neve dolos timeant praedonum, neve catenas.
 47 Ibo libens, fateor, tu me quacumque jubebis,

48 aut pedibus terras lustrare, aut aequora velis,
 49 Unum, oro, desiderium jam sedulus exple :
 50 aestibus aut tantis fluitantia pectora firma.
 51 Hoc tibi nam facile est, primis sapientia in annis
 52 quem docet et priscis versata volumina chartis,
 53 hoc clypeo armatus, fortunae temnere morsus
 54 et varios casus potuisti, mollia turbant
 55 pectora qui semper, miscent dum tristia laetis
 56 et modo mortales super alta cacumina tollunt
 57 et modo depressos nigra Tartara visere cogunt.
 58 Hinc Veneta semper vixisti clarus in urbe,
 59 virtutem officiosus amans vulgare per orbem,
 60 divitiis spretis, procul ambitione remota.
 61 Doctore urbs felix tanto, felicior ipse,
 62 qui dominam pelagi terrarumque instruis urbem,
 63 fausto olim positam auspicio divisque secundis,
 64 gaudentem innumeros jam libertate per annos,
 65 ipse autem, officii posthac non immemor hujus,
 66 aeternum memori venerabor mente patronum,
 67 dum fata in terris permittent ducere vitam,
 68 auxilio postquam non abnuis esse clienti.

C2_53 v.1 Dum timeo insidias hominumque canumque paratas,
 2 luce tremens lateo, per tenebrasque vagor.
 3 Rusticus exiguo me pandit cespite tectum,
 4 excitor hinc celeri praeda futura cani.
 5 Immatura tamen solabor fata misellus,
 6 quod tibi sum et pueris esca futura tuis,
 7 qui nemorum dominam rogitent, nostrum ut sit in agris
 8 rustici ab insidiis tutius usque genus.

C2_54 v.1 Quid toties dictis urges, Leonarde, severis
 2 quaeris et incepto me revocare gradu ?
 3 An videor clypeo vitare Cupidinis arcum
 4 posse, deos quando cum Jove vincat Amor ?
 5 Non adeo constans circum praecordia virtus
 6 duritiem haec silicis frangere forma potest,
 7 tam bene compositis pulchra est mea Cynnama membris,
 8 quam melius pictor fingere saepe solet :
 9 longa coma est solis radios imitata colore,
 10 quam circum religant aurea vincla caput,
 11 perque genas roseus decor atque immista ligustra
 12 sparguntur, vernis floribus apta magis.
 13 Indo frons ebori similis nitidissima ridet,
 14 quae spatium justo margine facta tenet,
 15 at gemino cernas oculos splendere sub arcu,
 16 non oculos sed enim sidera clara poli,
 17 obtutu faciles, dum parce atque arte moventur,
 18 quos circum volitat, ludit et acer Amor,
 19 spicula conjiciens exhaurit et inde pharetram
 20 eque hominum sensim pectore corda rapit.
 21 Hinc medio pulcher nasus demittitur ore,

22 in quo jam livor crimina nulla notet,
 23 labra fere illius latitant sub vallibus arctis
 24 purpureoque apte mista colore rubent,
 25 candentes intus duplici stant ordine dentes,
 26 posthabeas purum lac quibus atque nives,
 27 verba unde egregio veniunt comitata lepore,
 28 mollia quae reddant rustica corda virum ;
 29 nascitur hinc dulcis depellens nubila risus :
 30 tum videor caelo mistus et esse deis.
 31 Excipitur collo tereti ceu marmore vertex ;
 32 sub strophio culti delituere sinus,
 33 quos modice subter distendunt acria poma
 34 saepius in morem concita lenis aquae,
 35 vere novo huc illuc cum fert placidi aura Favoni
 36 marmora, ventorum sed rabida ora silent.
 37 Cetera, non Argos, sed quae sub veste teguntur,
 38 esse equidem externis deteriora nego :
 39 brachia naturae justa sub lege parentis
 40 ostendunt artem, candidulaeque manus
 41 longae adeo lataeque minus, nec nodus in illis
 42 apparet quisquam, venula nulla tumet.
 43 Sustinet augustum corpus perfectaue membra
 44 pes brevis, exiguum serica texta premunt.
 45 Quid referam dominae caelestes carmine motus,
 46 quos etiam populus laudat ad astra ferens ?
 47 Denique seu ridet, recinit, saltatve, sedetve,
 48 grata mihi toties vincula tendit Amor.
 49 Non ergo mirere tuum, Leonarde, Cichinum
 50 lascivo collum supposuisse jugo,
 51 postquam sese offert species tam rara benignam
 52 servitiumque manet gratia magna meum.
 53 O superi, quater efficite in mea vota vocati
 54 hoc proprium ut servent saecula longa bonum.

PHILIPPI RAGONENSIS SACERDOTIS TUMULUS

C2_55 v.1 Qui juvenis magnis intentus rebus agendis,
 2 quique senex vixit usque quietis amans,
 3 integer et sacra sat relligione deorum
 4 notus, in hac vitae luce peregit iter.
 5 Rex divum, qui hodie terris petis astra relictis,
 6 servum hodie dominum da per inane sequi.

C2_56 v.1 Quid dicam quod sol nitidum caput abdidit atra
 2 veste, nec in tenebris Delia monstrat iter ?
 3 Sidera nec radiis splendent velut ante coruscis,
 4 sed caelum obductum nubila densa tenent :
 5 omnia defuncto domino tristantur et ingens
 6 terra tremit, tumulis umbrae abiere cavis.
 7 Detestanda hominum soboles, quae sacra magistri
 8 non verita est altae figere membra cruci,
 9 hanc nos fundentes lacrimas veneremur et alto

10 cum gemitu, en palmas pandit ad astra vocans.
 11 Haec hodie maculis animum purgabit iniquis,
 12 haec hominum foedus sanciet ante deum.

C2_57 v.1 Magne Pater, numero trinus, virtute sed unus,
 2 qui terras moderare aethereamque plagam,
 3 si, dominum exstinctum testantia, nubila terris
 4 abstulerant lucem nocte dieque vagam,
 5 pelle, Pater, tandem, Phoebo sua lumina reddens,
 6 nec lateat denso Cynthia clara polo.
 7 Omnia laetentur, postquam surrexit ab alto
 8 rex tumulo atque Herebi limina fracta dolent.
 9 Spem moriens homini, surgens dedit ille salutem,
 10 hinc patet ad trinum jam via lata deum.

C2_58 v.1 Cernitis haerentes in eodem corpore fratres ?
 2 Sic etiam haerentes corde animoque sumus.
 3 Viximus in tenebris, si vita est crescere, at hora
 4 edidit una duos, abstulit una duos.

ALITER

C2_59 v.1 Viscere concreto exior sub corpore eodem :
 2 fecerunt geminos brachia, colla, pedes.

ALITER

C2_60 v.1 Astrorum vires qui nescis cerne gemellos :
 2 uno etenim exstincto, exstinctus et alter obit.

IDEM ALITER

C2_61 v.1 Quid frater fratri nocui, sub ventre parentis ?
 2 Cur miserum velles perdere morte tua ?

IDEM ALITER

C2_62 v.1 Fata eadem, diversa immo, sunt fratribus : ortus
 2 occidit hic, oriens occidit ille prius.

ABSTEMII

C2_63 v.1 Nec geminos dicas queis unum pectus, in uno
 2 pectore corque unum truncus et unus inest,
 3 nec dicas unum, bifido qui vertice duplex,
 4 bis geminaque manu est, bis geminoque pede.

ALITER

C2_64 v.1 Atque unum atque duos in eodem corpore mater
 2 nixa : nec est unum nixa, nec illa duos.

AD NAIADEM LATIACAM

C2_65 v.1 Desine turgidulis fontem corrumpere ocellis,
 2 huc Latiis nuper, nympa, vocata jugis :
 3 Pontius, Hispanum certo qui foedere amicum
 4 constituat, Veneta carpit ab urbe viam,
 5 at prius egregios posuit tibi, diva, recessus,
 6 Hunnia ne vitreis sola careret aquis.
 7 Numine sub gemino urbs Pontis nymphaeque quiescat,
 8 perpetui hinc latices, perpetua inde quies.

PRO CELSO BELLINO

C2_66 v.1 Sic vos omnipotens aeternas usque ministras
 2 divinae mentis Juppiter esse velit,
 3 nec trahitis vellus cum jam mortale, labella
 4 morsa notent, teneras neve saliva manus.
 5 Incolumen servate, deae, servate venustum
 6 Bellinum, haud vita dignior ullus homo est,
 7 vel spatium annorum (si fas) cohibete Cichino
 8 et date dilecto fata aliena seni.

ABSTEMII: DE FONTE LATIACO

C2_67 v.1 Pontius huc duxit, populus dedit aera. Liquorem
 2 hauri, hospes : nihil est hoc mage dulce. Vale.

EIUSDEM

C2_68 v.1 Hospes ades, puroque sitim restingue liquore,
 2 aptior hac nulla est unda futura tibi ;
 3 cum bene sedarit fessum te argenteus humor :
 4 "Perpetuum - dices - Pontia lympa flue."

AD ABSTEMIUM ET CICHINUM

C2_69 v.1 Tres partes animae meae hinc profectae
 2 ad vos sunt, rapido aestuante Cancro,
 3 Abstemi optime et optime o Cichine
 4 et Pontanus et ipse Gozedinus
 5 Sporensque animi facetioris,
 6 omnes (nam fateor) bene instituti,
 7 omnes suavidicique et integelli,
 8 secum habent Charites Cupidinesque

9 et totum genus elegantiarum,
 10 queis nullum hospitium aptius parare
 11 quam vestrum potuere ubique sarctum
 12 et tectum Aonidum choro sororum,
 13 quare quicquid erit virorum habete
 14 et (si mi cupitis bene et beate
 15 esse unquam) mihi reddite hos sodales,
 16 multa jam satis invicem locuti.
 17 At vos, plus oculis utrisque amati
 18 a me, deliciae meae, sodales,
 19 Cito ad nos Utinumque cogitate,
 20 nec mora, efficite ut viam voretis,
 21 dicta nomine jam meo salute
 22 meo Abstemiolo Cichinuloque.

AD LUISINUM

C2_70 v.1 Reddimus tibi jam tuos sodales,
 2 inviti licet, aestuante sole,
 3 qui ad nos attulerant novos lepores ;
 4 hos non immerito colisque amasque,
 5 ut caros decet optimosque amicos
 6 et virtutibus elegantissimisque
 7 plenos, at lepidos nimis sodales
 8 cito surripis, ut redire ad urbem
 9 qui actutum jubeas salute dicta,
 10 quare aut ne digitum quidem recedas
 11 posthac a probulis venustulisque,
 12 dilectos magis aut utrisque ocellis
 13 nobis tam cito ne invidere sodales.

AD GEORGIUM CICHINUM ET LEONARDUM PONTANUM

C2_71 v.1 Pontane, et mihi junctior, Cichine,
 2 quam fratri bonus est piusque frater,
 3 quid rerum geritis simul recessu
 4 in vestro nimium cupito utrique ?
 5 Studetis veteres bonos poetas
 6 doctis fingere versibus subinde,
 7 an longos teritis dies loquendo
 8 nunc haec, nunc alia, inde multa praeter
 9 jam narrata alia, ut solent amici
 10 fidi, candiduli, boni, integelli,
 11 quales vos fateor fuisse et esse,
 12 an fructus legitis feracis anni,
 13 quos tellus tulit et dies laborque,
 14 anne semina spargitis per agros ?
 15 Haec vestra est modo cura, nec metendi
 16 est vobis studium. Juvat per arva
 17 subacta assidue serendo, arando,
 18 noctes ducere candidosque soles :
 19 hinc vobis nimium placet recessus,

20 vos hinc agricolae repente facti.
 21 At vestrae ut valeant, Cichine, vires
 22 istos assiduos pati labores,
 23 nervi sint licet integri et valentes,
 24 rumpentur satione, ni modus sit.

AD ABSTEMIUM

C2_72 v.1 Abstemi, pater elegantiarum,
 2 quae sunt quaeque futurae in urbe nostra,
 3 quaeris cur placeant utrisque amicis
 4 tantum sordida rura tamque amoeni
 5 colles Faganaeae atque aquae et recessus,
 6 Pontano, cupido tui, et Cichino ?
 7 Vere dant varios per arva flores
 8 rura candida, spiritus salubres,
 9 membra queis animique nutriuntur,
 10 at largas medio calore messes,
 11 anni spemque levamen et laborum,
 12 nec, clausis velut urbibus, patenti
 13 agro Sirius instat aestuosus.
 14 Autumnus, decorans novis racemis
 15 vites, dolia replet, hinc bibendo
 16 curas pellere mentibus valemus,
 17 et mala uberius pira et reponit
 18 cenarum leve non decus bonarum.
 19 Rura nonne hiemes tepentiores
 20 urbes quam faciunt suis colonis ?
 21 Quas agunt modo spiculis acutis
 22 figentes volucres, modo prementes
 23 veloci lepores canum caterva :
 24 ergo semper arando, vel serendo
 25 noctes ducere nec dies necesse.
 26 Hinc utrisque placet satis recessus
 27 noster, agricolae hinc utrique facti,
 28 Pontanus tuus et tuus Cichinus.

C2_73 v.1 Ad cenam me hodie, boni sodales,
 2 vocatis precibus : nihil necesse
 3 umquam candidulos precari amicos,
 4 Augusti celebremus ut Calendas,
 5 ritibus veterum optimis sacratas.
 6 Non mensae Budriana vina desint,
 7 non Rosacea, quae tenent saporem
 8 candoremque rosae simulque nomen,
 9 quae non immerito fuere magno
 10 avis in pretio, haud minore nobis
 11 quam Cretae Veneta solet Lyaeus
 12 esse urbe, undique quem petunt per orbem
 13 mortales cupidi satis palato
 14 fecisse atque animum levare curis.
 15 In primis tamen haec decens puella

16 ministret Veneres Cupidinesque,
 17 in nos conjiciens vagis ocellis,
 18 tum convivium condiamus omnes
 19 dulci colloquio, ut bonos sodales
 20 convenit facere et facetiores,
 21 tum quisque ordine et invicem hauriendo
 22 plena pocula proximo ministret :
 23 sic pater Bromius jubet Calendas
 24 Augusti celebrare nos sodales,
 25 ut toto valeamus esse in anno,
 26 laeti atque incolumes, bene et valentes.

DE IACOBO FLORIO

C2_74 v.1 Dum patrio contente solo, Flori optime, flores,
 2 omnia complesti laetus odore bono,
 3 sed cupis externis populis quod spargere odores
 4 eximum florem terra aliena necat.
 5 At secure jace, nam pullulat undique radix,
 6 quae sobolem exornet floribus usque tuam,
 7 dum fora, dum leges, dum jus servabitur aequum,
 8 floris odor vivet, crescet et auctus honos.

PRO LEONARDO PONTANO

C2_75 v.1 Phoebe, decus caeli, rerum pater optime, nosti
 2 gramina qui medica maximus arte deus,
 3 ne pigeat juveni succos afferre salubres
 4 languentem dudum quem male febris habet,
 5 pocula nec prosunt commixto oblata sapore,
 6 nec quicquam medicas saepe adhibere manus,
 7 tu potes incolume intuitu sed reddere ab uno,
 8 aspice Pontanum quare age dive libens.
 9 Ille memor meritos quamprimum reddet honores
 10 teque canet docto carmine teque lyra.

C2_76 v.1 Quo tibi numeros, amice, pacto
 2 laetos mittere vel queam jocosos ?
 3 Abstulit mi animum dolor recens, heu,
 4 gaudii super est nihilque risus,
 5 flebis tu quoque, nam pium geris cor
 6 et tristes miseraris usque casus :
 7 Petrus, flos juvenum elegantiorum,
 8 quotquot Utinea vagantur urbe,
 9 nuper funere mersus est acerbo.
 10 Heu fata impia, sors fera, astra dura,
 11 heu Parcae juveni nimis severae,
 12 tam bellum juvenem atque tam venustum
 13 immites potuistis enecare ?
 14 Vos demum merito invidas vocari

15 virgines scio, cum puellularum
 16 dextra dispereat puer venustus.
 17 Te lugent pueri puellulaeque,
 18 te domus tua tota Gurgitana,
 19 quod prima ante diem, puer, juventa
 20 indigne raperis maloque fato,
 21 Gurges, gurgite mergeris sub atro.

DE HYERONIMO COLLORETANO

- C2_77 v.1 Prostratam quam cernis humi nunc turbine nigro
 2 florebat corylus fructibus eximiis,
 3 fundebat gratas late pastoribus umbras
 4 et sobolem patrio foverat auxilio,
 5 jamque piros malosque cacumine vicerat alto
 6 et laurum et palmas, vulsa sed ante diem est.
 7 Post similes fructus (longum depone dolorem)
 8 saepe dabit laeto consita silva solo,
 9 fata immota jubent Colloretana propago
 10 floreat ut celsis perpetuo aucta jugis.
- C2_78 v.1 In calamum versam cum jam Syringa videret
 2 Pan deus, ardori nec superesse modum :
 3 "Si placet hanc, superi, - dixit - mutare figura,
 4 in tenues flatus me quoque vertat Amor".
- C2_79 v.1 Purpurei flores, super additaque arte ligustra,
 2 munera quae mittis grata futura mihi,
 3 ingenium studiis ardens Nicolae Cichino
 4 ostendunt, pariter candidulumque animum.
 5 Quid tibi tam caro reddam pro munere ? Ni me
 6 accipias totum, nil satis esse reor.
- C2_80 v.1 Lygdamus et Phyllis tumulo conduntur opaco,
 2 queis amor unus erat, queis erat una fides.
 3 Vixerunt pariter, lecti quos foedera jungunt,
 4 nunc obeunt pariter, unus et est tumulus.
 5 Desinite unanimes nati lugere parentes
 6 deterior lacrimis ne sit utrique quies.
- DE FAUSTINA MANCINA ROMANA
- C2_81 v.1 Rura miser repetas, repetas et aratra, Cupido,
 2 nec, prius ut, septem collibus esse velis,
 3 quae sedes tibi certa suo spoliata decore est,
 4 turgidulis oculis hanc fuge et usque gemens.

5 Heu spes fallaces, heu mens ignara futuri !
 6 Faustina in tenero flore perempta jacet :
 7 haec humiles hominum potuit divellere curas
 8 at mihi solares praebuit una vices.
 9 Ergo arcus miserum abjicere stivamque decebit
 10 sumere, dum tardis aequora bubus aras :
 11 exstinxit moriens Charites secum illa tibi que
 12 fracti animi aeternum o lux memoranda mihi.

DE EADEM

C2_82 v.1 Nomine te fausto quondam, Faustina, vocabant
 2 dum pariter vivens omnibus ardor eras,
 3 at Veneres postquam tecum periere et Amores
 4 Mancinam infausto nomine quisque vocet.

DE EADEM

C2_83 v.1 Undique formosam quis te, Faustina, negabit ?
 2 Quam non ipse queat carpere livor edax,
 3 cum juvenum fueris seniorumque anxia cura,
 4 es quoque femineis perditae amata choris ;
 5 formosam aut ergo fateatur quisque necesse est,
 6 formosum omnino vel nihil esse ferat.

DE BACCHI SEPULCHRO

C2_84 v.1 Dum vacuus curis, Roma post terga relictas,
 2 intentus tumulum cerno, Lyaeae, tuum
 3 paene puerili deceptus imagine et uvis,
 4 admovi cupidus ad tua dona manus.
 5 Felix dive, vetus cui tanta paraverit aetas
 6 egregia artificis facta sepulchra manu ;
 7 Felix, dive, iterum, Estensi sub praeside, postquam
 8 in tenebris nomen non sinit esse tuum.

ALITER

C2_85 v.1 Si mira exsultas caelatis arte sepulchris,
 2 praeside et Estensi, Bacche, superbus eas.

ERASMI VALVASONII

C2_86 v.1 Perpetuae huic lauro ramis quae prominet altis,
 2 florentem mihi sol alit igne comam.
 3 Scilicet Aonias postquam potaveris undas,
 4 praemia carminibus digna habiture tuis,
 5 Pieris innupta cinget tibi Daphnide crinem,

6 praemia carminibus digna datura tuis.

AD ERASMUM VALVASONIUM

C2_87 v.1 Qua nostros decoras crines, Erasme, corona,
 2 illa tuum merito cinget honore caput,
 3 nam me Pierio jamdudum fonte remotum
 4 docta cohors numeris destituere suis,
 5 at tibi, quo properas studiis ardentibus, ultro
 6 Musa vocans gratos pandit amica sinus.

AD CELSUM BELLINUM ROMANUM

C2_88 v.1 Dum solatiolum cupis Cichino,
 2 Celse, candidulos bonos poetas
 3 esse terque quaterque perlegendos,
 4 heu desiderium mage aestuosum
 5 accendis misero invidumque reddis
 6 doctis candidulis bonis poetis,
 7 nam quod innumeris senem venustum
 8 vates innumeri modis celebrant
 9 certatimque student Corycianum
 10 nomen eruere e malis tenebris,
 11 mentem sollicitam hoc idem fatigat
 12 vatis pessimi et undique indiserti,
 13 invitis quoque saeculis, venustum
 14 celsum reddere versibus celebrem,
 15 hoc cum non valeam valere vates,
 16 raucus, pessimus indisertulusque
 17 heu desiderio angor impotenti.

AD CELSUM BELLINUM ET NICOLAUM PILLARINUM

C2_89 v.1 Valete, o mihi utrique utrisque ocellis
 2 dilecti mage, candidi, venusti,
 3 dulces, integri amici et elegantes,
 4 celse, adhuc viridi vicens senecta,
 5 Pillarine, meis virens in annis.
 6 Cogunt me mea fata abire Roma,
 7 invitum, fateor, bonisque amicis.
 8 Immotae at superum rataeque menti
 9 quis potest hominum, audet aut, reniti ?
 10 Sed quocumque ferar pedes, vel undis,
 11 tam caris procul optimisque amicis,
 12 aut vestri pariter memor meique
 13 vivam, aut immemor omnium meique.
 14 At vos caelicolas pie rogate
 15 ut vestro expediant iter Cichino
 16 reddantque incolumem aedibus paternis,
 17 fratribus, patriae et piaae parenti :
 18 movent vota deos precesque justae.

19 Quod, si me auspiciis meis liceret
 20 vobiscum exigere ultimam senectam,
 21 nullis invideam beatus annis
 22 exactis melius beatiorum.
 23 Id concedere dii negant petenti,
 24 quare candiduli valete amici,
 25 dilecti mage utrique utrisque ocellis.

DE GRYPHO CANE

C2_90 v.1 Qui lepores, qui capreolos captare solebat,
 2 dente feras vulpes, dente peremit apros,
 3 heu cadit indigno ante diem percussus ab ictu
 4 ne domino ulterius esset ut ante comes.
 5 Rustice, qui nostrum potuisti perdere Gryphum,
 6 sis merito rabidis grata rapina lupis,
 7 at tu, Gryphe, canes quod praestantissimus inter
 8 vixisti, numeris nunc quoque vive meis.

AD DIVUM NICOLAUM

C2_91 v.1 Has ceras tibi, dive, sacras, haec thura precesque
 2 Nauta vagus, pueri, casta puella, dicant,
 3 hic, quia saepe maris mediis servatus ab undis
 4 pene rate infracta litora nota petit.
 5 Hi, dextra adjuti, virtutis ad ardua surgunt,
 6 ne teneros tardent in via saxa pedes,
 7 at meritas solvit grates virgo aurea gestans
 8 munera, cum thalami foedera sancta colit.
 9 Annuus hic sit honos, Nicolae, atque annua dona,
 10 supplicibus quando das bona tanta tuis.

AD GEORGIUM CICHINUM

C2_92 v.1 Post mortem immeritam Nasonis, parve Cupido,
 2 heu nullum reperis, qui tua gesta canat,
 3 dum tristis volitas, mater comitatur et una
 4 quaerit, nec quemquam comperit illa dolens.
 5 Te Venus at tandem misero solatia nato
 6 invenit et vati carmina docta dedit :
 7 provenit hinc summus candor tibi, docte Georgi,
 8 namque Venus vatem te facit egregium.

AD CURTIUM COLLORETANUM

C2_93 v.1 Parce puer clarum Nasonis laedere nomen,
 2 quem Venus artificem quemque Amor ipse colit,
 3 nam nullum egregio fas est componere vati,
 4 qui prius aut qui nunc dulcia furta canit.
 5 At nos, turba duces rauco clamore sequentes,

6 huc illuc trahimur, ut Venus ipsa jubet :
 7 si potes horum artes fugias et vincula, quaeso,
 8 vel doceat Naso te quoque amare, puer.

RICCARDI PORTUNERI

C2_94 v.1 Ambobus mihi ni meis ocellis
 2 esses carior o domus Cichinae
 3 lumen, quantum oculos meos te amarem,
 4 quod non fit, nam amo plus meis te ocellis ;
 5 quare si cupis, est tibi que gratum,
 6 quantum lumina amari et esse carus,
 7 carmen suaviolum tuum remittes,
 8 quo curas animi levare possim.
 9 Nam ego torqueor omne perdidisse
 10 tempus praeteritum trium dierum,
 11 quod, si carminibus tuis medellam
 12 praestabis solitam mihi misello,
 13 Portuneri usque praedicabit
 14 te fuisse sibi suam salutem.

AD RICCARDUM PORTUNERIUM

C2_95 v.1 Nec te plus oculis meis amare,
 2 nec caro fateor te amice corde,
 3 abstulit mi oculos Amor protervus,
 4 fixo vivere praecipitque corde,
 5 quare quantum animae est super misello,
 6 Riccarde optime, te hoc amem necesse,
 7 ne ingrati subeam notam pudendam.
 8 Quod, si carmine Deliae valerem
 9 Cornu flectere duriora corda,
 10 usque ad millia millies trecenta
 11 mittet carmina jam tuus Cichinus.
 12 Tunc se vivere sentiet beatum,
 13 tunc te plus oculis suoque corde,
 14 lumine integer atque flatu, amabit.

C2_96 v.1 Quod clara insignis facie cinctuque decoro
 2 in somnis cupidum praemia ad ampla vocas,
 3 Phoebe, decus vatum caelique, in margine fontis
 4 Curtius hanc laurum luce nitente dicat.
 5 Tu, veteris flammae non immemor, arboris altae
 6 perpetuam miti lumine tolle comam ;
 7 contegat haec juvenem, teneros dum ludet amores,
 8 haec merito exornet vatis honore caput.

C2_97 v.1 Improbe quid properas implumes perdere natos
 2 rustice ? Nam matrem funera acerba necant.
 3 Nec movet e nido parvas clamare volucres,
 4 nec circum matrem saepe volare caput,
 5 at tibi saevitiae pro tali verberet agrum
 6 grando, mala ut pereas, rustice inique, fame.

AD CORNELIUM FRANGIPANEM

C2_98 v.1 Quid fles longaeva confectum aetate parentem,
 2 carmine quem poteris reddere perpetuum ?

C2_99 v.1 Crediderat tenebris mors atra involvere Petrum,
 2 Petrus at e tenebris clarior usque micat.
 3 Hoc faciunt nati, sed enim Cornelius arte
 4 Phoebea peragit tam pia justa patri.

C2_100 v.1 Egregium invidit natis mors atra parentem,
 2 ne clara ulterius prole superbus eat ;
 3 unanimes nati invita mox morte perempti
 4 restituunt luci nomina clara patris.
 5 Hoc voluere omnes, potuit Cornelius unus
 6 efficere aeternum seque suumque genus.

C2_101 v.1 Exiguum panem qui frangunt ungue leones
 2 dant cognomen avis, Petre, tibi atque tuis.
 3 Accipis a duris nomen durabile petris
 4 saecula ne quidquam longa abolere queant,
 5 perpetuum et pietas faceret te et vivida virtus,
 6 sed tantae sobolis sit satis esse patrem.

C2_102 v.1 Juppiter, an frustra te regem hominumque deumque
 2 credimus, ane fluunt omnia mente tua ?
 3 Quid rapidis terras fumantes ignibus uris,
 4 nec movet alma Ceres viscera tosta gerens ?
 5 Si te forte novis correptum ardoribus ad nos
 6 Mittit Amor, madido tutius imbre veni.
 7 Conjugem ita eludes, nostris hoc denique pacto
 8 succurres votis et potiere tuis.

C2_103 v.1 Si sapiens cautis Lacedaemon furibus ampla
 2 praemia proposuit ingenia alta fovens,
 3 bubonem ante oculos ipsis qui furibus aufers,
 4 quae tibi re in tanta munera digna damus ?

5 Sed Garbinus adest instans, Brunellus et una,
6 civibus ut pateant quae male furta latent,
7 quare ne in lucem fac prodeat ipsa volucris,
8 vel quadrupli poenam solve notamque subi.

C2_104 v.1 Dum rastris sulcos Lycidas invertit acutis
2 et medio tardat pellere sole famem,
3 Corvus adest panem prospectans caseolumque,
4 sacculus ut modica parte reclusus erat.
5 Ter rostrum extendit crocigans, ter colla retractat,
6 sed lapsum tandem vincla relaxa tenent :
7 corve rapax, tentas furari aliena, sed idem
8 insidiis captus praeda aliena manes.

AD CORNELIUM FRANGIPANEM IURISCONSULTUM

C2_105 v.1 Saturnalia sunt dies jocos
2 dicati Veneri Cupidinique,
3 Baccho, laetitiae, jocis, choreis.
4 Adeste o probulae venustulaeque,
5 dulces, candidulae simul puellae,
6 comptis crinibus, ore pernitenti ;
7 spectator bonus est poeta vester,
8 facundissimus omnium patronus,
9 urbe, litibus et foro relictis.
10 Quare promite quicquid est leporum
11 in vestris oculis sinuque culto,
12 dulces intuitusque blandulosque
13 Risus, ceu Charites pedes moventes.
14 Certatim arripite optimum poetam,
15 circum ducite mollibusque gyris,
16 doctum cingite dein caput corona.
17 Tollet postmodo laudibus trecentis
18 vos Cornelius elegans, venustus
19 curis posthabitis negotiisque,
20 Saturnalia cum dies jocosos,
21 dicatos Veneri Cupidinique,
22 canet carmine blando et erudito.

C2_106 v.1 Qui nympham, bone fons, altis in collibus edis,
2 versibus aeternum fons celebrande meis,
3 et nemorum custos et noctis, Luna, parentem
4 quae pulchrae sobolis non semel esse jubes,
5 aspiciate ah misero jactantem pectore flammam
6 pastorem et sicco pellite ab ore sitim,
7 Naucelli ad ripas dominam mistasque puellas
8 dum spectat mira ducere ab arte choros.
9 Nam modo surgentes facile est sedare vapores,
10 fontem undis vitreis, rore geluque, deam.
11 dive, tibi gratus statuet de marmore tectum,
12 inscribens signis, aurea Luna, tuis.

- C2_107 v.1 Ter decimum vixi sat adhuc feliciter annum,
 2 dum Veneris gessi libera colla jugo,
 3 Anna sed imposuit finem melioribus annis,
 4 lumina ut aspexi purpureasque genas.
 5 Tu vero insani testis, Naucelle, furoris
 6 merge meum sacras ter caput inter aquas :
 7 et deus es, liquidis arsisisti et nuper in undis,
 8 inventa est antro post medicina tuo.
 9 Ipse annum hunc Annae tota cum mente dicabo,
 10 quas potero grates et tibi laetus agam.
- C2_108 v.1 Has Cereri segetes atque haec vineta Lyaeo,
 2 culti ruris amans, Mopsus utrisque dicat.
 3 Tu bona crescentes primis dea tolle sub herbis,
 4 ut capiti dentur spicea sarta tuo ;
 5 tu pater a tonsis ictus depelle malignos,
 6 cornibus atque uvis cinge superbe comas.
 7 Ille per ardentis aestus hiemesque nivales
 8 carminibus laetis munera vestra canet.
- C2_109 v.1 Has Fabii inferias luctu fratrumque querelis
 2 advenio, externis umbra vocata locis,
 3 quem neque Germani potuerunt sternere ferro,
 4 crebra nec accenso sulphure pila ruens,
 5 infrenes subigit populos dum Caesar et urbes,
 6 moenibus extinctum nobilis Ulma tegit.
 7 Immatura eheu mors aufert magna trophaea,
 8 nec sinit invicti Caesaris arma sequi.
 9 Corneli, tamen haud faciam haec dispendia tanti,
 10 si numeris fratri nomina longa dabis.
- C2_110 v.1 Quae quondam ardentem fugiens Peneia Phoebum
 2 nympa dedit sacrae laurea sarta comae,
 3 en iterum in ramos mutat sua membra virentes
 4 et varios flores gestat utraque manu
 5 tempora ut eximia victricia fronde coronet,
 6 cui faveat Mavors, cui faveatque Venus,
 7 quo, Ronchedine, es quoniam decoratus honore,
 8 sis Veneris miles, sis quoque Martis eques.
- IN OBITU CELSI BELLINI ROMANI
- C2_111 v.1 Deliciae Charitum Veneris purique leporis,
 2 celse, brevi ante diem conditus es tumulo.
 3 Quamvis septem ultra sex denos videris annos,

4 invidit Latio mors decus atra suum,
 5 dum te Parma senem, Placentia dumque venustum
 6 certatim merito semper honore colunt.
 7 Scilicet Elysias ut sedes ante parares
 8 Grimano, dominum per loca amoena vocans.
 9 Nunc laetas ambo teritis sermonibus horas,
 10 at nos turgidulis flemus utrumque oculis.

C2_112 v.1 Has lacrimas gemitusque imo de pectore ductos
 2 care mei conjux pignus amoris habe.
 3 Invisam optarim tecum una solvere lucem
 4 natarum pietas ni superesse velit,
 5 in tenebris moriens quas tu cum matre relinquis.
 6 Ah nimium uxori fata maligna tuae !
 7 Unanimes, quaeso, fratres succurrite egenis,
 8 vos moveat probitas vosque Thealda fides.

C2_113 v.1 Invisae Veneris temnens et spicula et arcus,
 2 exsecat ipse sibi pondera iniqua Mycon,
 3 neve queat rarum tenebris involvere factum,
 4 luce palam divae vilia membra dicat,
 5 at tibi, magna parens, quatiens et tympana et aera,
 6 femina jam donat seque animumque libens.

IN OBITU DANIELIS FRATRIS

C2_114 v.1 Si gemitu lacrimisque piis justoque dolore
 2 dii quemquam luci restituisse velint,
 3 quamquam oculos densis mors clauserit atra tenebris,
 4 te, Daniel, revocet tota Cichina domus.
 5 Sed memores fati non exorabilis una
 6 omnes verba tibi mentem animumque dicant
 7 ut patrii referant olim per saecula colles
 8 te sibi teque tuis rarum obiisse decus.

ABSTEMII DE EODEM

C2_115 v.1 Tota domus te maesta gemit sine fine peremptum,
 2 te, Daniel, patria flebile maesta gemit,
 3 te quoque longinquae lugent tot millia gentes,
 4 nam domui et patriae carus et hospitibus :
 5 aucta domus virtute tua est, patria aucta decore,
 6 largus opum hospitibus commodus unus eras.

DE EODEM

C2_116 v.1 Te subito casu non aspera fata tulere,
 2 ne dolor in lento longior interitu,
 3 aedibus in magnis, amplexu in principis, inter
 4 oscula nobilium, mors ut honesta magis,
 5 et procul a patria atque tuis, ne si morientem
 6 aspiceret mater commoreretur anus.
 7 At cadis ante diem medioque in flore juventae
 8 longius ut vivas commodiore loco.

IN OBITU SERTORII COLLORETANI

C2_117 v.1 Te quoque, Sertori, crudelia fata tulere
 2 invisaeque jubent mortis adire fores,
 3 Julia ne tanto tellus gauderet alumno,
 4 Mavors, Phoebe, tuis artibus eximio.
 5 Dum pius acceleras caros invisere fratres,
 6 ah nimium ante diem gurgite mersus obis.
 7 Haec erit atra dies, donec Coryleta vigeant,
 8 donec erit Turris, et mihi flenda diu.

DE EODEM

C2_118 v.1 Cum te Mars validis puerum fovisset in ulnis,
 2 temperie mitis sol aleretque bona,
 3 tam bene compactum haud poterant dissolvere corpus
 4 proelia, morborum taedia, longa dies.
 5 Hoc tibi, Sertori, insidias elementa pararunt ;
 6 infandum admittunt lymphaque noxque scelus.
 7 Meduace, hunc vitreis et agentes Naiades undis
 8 ne pigeat vestris inseruisse choris.

DE CAPTURE URBIS DURAE IN GERMANIA

C2_119 v.1 Sic ego crudeles artes durosque labores
 2 militiae novi : Mars truculente, vale !
 3 Quid fera castra sequar, vigilans noctesque diesque,
 4 si sunt militibus praemia nulla tuis ?
 5 Nec mihi muralis superem si moenia primus,
 6 nec mihi servato cive corona datur.
 7 Mutarunt populi mores regesque patresque,
 8 surgere quos auri suadet ad arma fames ;
 9 nam neque pro dulci patria fera bella geruntur,
 10 pro Laribus cara conjuge proque deis.
 11 Nullus amor justus, laudum non ulla cupido ;
 12 insidiis tantum, res agiturque dolis :
 13 omnia quae Pallas nunc, ipsa perosa furori,
 14 insano belli tristia jura dedit.
 15 Jam non illatis concurritur undique signis,

16 nec faciunt acies certa pericla sui ;
17 eminus accenso certatur sulphure, praeceps
18 per tenues auras plumbea pila volat,
19 quam neque loricae valeant tardare, nec arma
20 Vulcani eximio ducta magisterio.
21 Moenia quin etiam, si quando machina pulsat,
22 impete terribili moenia fracta ruunt.
23 Testis Dura, brevi quae facta est tempore mollis,
24 absumpta in cineres et cito versa leves,
25 dura, utrumque latus duplici circumdata fossa,
26 moenibus ah fidens militibusque feris.
27 Non equites illi e silva in nos saepe ruentes
28 profuerunt, Galli nec properantis opes :
29 sternuntur plumbo muri cum turribus altis,
30 Ubia gens refugit vulneribusque cadit.
31 Quas hominum strages, quae tum crudelia vidi
32 funera, non oculis aspicienda piis !
33 Saevitum in pueros etiam pavidasque parentes,
34 aede nec a sacra continuere manus.
35 Heu lucem Augusti memorandam ad funera mensis,
36 lucem dive tibi Bartholomee sacram !
37 Hac Duram Ausonio commistus milite Iberus
38 certatim aggreditur, diripit, igne petit.
39 Arma aliae hinc metuunt invicti Caesaris urbes
40 atque gravi subdunt colla soluta jugo.
41 Juliaque in primis bipatentes cardine portas
42 pandit et hostiles jam tremebunda sinus,
43 demum, Maenapiis accincta paludibus, ultro
44 Geldria se cum ipso principe tota dicat,
45 Venla licet, Mosa et vallo munita, repugnet,
46 nec duce Martino fas timuisse putet.
47 Hosne viros inter crudeles verser et enses,
48 assuetus numeris Pieridumque choris ?
49 Jam mihi Germani saltus montesque valete
50 aequoraque, arboribus nuda, Lyaeae, tuis.
51 Jam repeto Italiae fines atque arva beata
52 muneribus vestris, Liber et alma Ceres.
53 Salve, armis studiisque potens, duplici aequore cincta,
54 Italia, Etruscis secta cacuminibus,
55 fluminibusque vagis ornata atque urbibus amplis,
56 sed Tiberi in primis urbeque Romulea.
57 Omnibus huc properant gentes regionibus, orbis
58 una haec totius instar habere potest,
59 sola licet superent veteris vestigia Romae
60 utque prius colles pabula laeta tegant,
61 fornicibusque altis constructa, theatra ruinam
62 ostendant, arcus et sacra templa deum :
63 nobilis auctorum retinent vix nomina thermae,
64 nec fora, nec circi, rostra nec ulla manent.
65 At nova Roma viget, veteri non illa secunda,
66 seu spectes aulas purpureosque patres,
67 qui celebrem reddunt urbem, qui limine aperto
68 certatim juvenes praemia ad ampla vocant,
69 seu munitam arcem Hadriani, super alta sepulcra
70 constructam, pontes seu Tiberine tuos.
71 Quid summi referam pastoris regia tecta,

72 pariete quid pictos egregia arte deos ?
 73 Hic pater omnipotens sontes ubi Tartara ad ima
 74 dejicit, insontes tollit, ad astra vocans.
 75 Sunt Bonaroti etiam spirantia signa Michelli,
 76 Praxitelem et Zeuxim quem superare ferunt ;
 77 stant divi delubra polum spectantia Petri,
 78 nota satis populis relligione pia,
 79 quae nec Turcarum rabiem, sub praeside Paulo,
 80 nec venientem horrent ex Aquilone luem,
 81 quamvis Germanis mala semina sparserit agris
 82 Lutherus, populos ad nova vota vocans,
 83 alliciatque, epulis nullo discrimine sumptis,
 84 tollat et e templis numina magna deum.
 85 At summum eloquio et sapienti tectore Paulum
 86 insignis circum murice turba sedet,
 87 sive opus Ausoniae fessis succurrere rebus,
 88 sive movet sanctae relligionis honos.
 89 Hos inter virtus Grimani rara relucet,
 90 ut nitet in culto flos hyacinthus agro.
 91 Magnanimo quales meditatur pectore sensus ?
 92 Quam gravibus verbis arte juvante refert ?
 93 At domus illius fundata est legibus, adsunt
 94 praemia certa bonis justaque poena malis.
 95 Principis observant vestigia clara ministri,
 96 qui domino gratum servitium esse volunt :
 97 his nulli invidiae stimuli, sed candida mens est
 98 et sincerus amor omnibus, una fides.
 99 Nomine neu referam cunctos simul ordine longo,
 100 atria quae celebrant Transtiberina cohors :
 101 efficit hoc Brevius, Musarum gratus alumnus,
 102 carmine quem Tusco ludere saepe juvat ;
 103 hoc etiam Celsus, vultuque animoque sereno,
 104 quem colere et numquam sat celebrare queam,
 105 seu praesens oculos jucundaque suavior ora,
 106 sive absens penitus pectore fixa gero.
 107 Tantum ne inculta laedatur forte Thalia
 108 sitque mage obscurus versibus ille meis.
 109 Pierides, unum hoc concedite : carmina vivant,
 110 quae referunt Celsum, caetera rauca cadant,
 111 cultus ut hic senior tanto noscatur amore
 112 dignus, ego incana semper amasse fide.
 113 Pacem ego, Mars magne, viros et pacis amantes,
 114 anteferam bellis militibusque feris
 115 et securus iter mihi, quod monstravit Apollo
 116 primaevo, ipse albis crinibus usque sequar.

DE LUCIA SOLIS

C2_120 v.1 Mortales stupuere duos lucescere soles,
 2 Lucia dum terris lumina clara dedit,
 3 aureus at plures veritus sol surgere soles
 4 hanc rapit, ut luces solus in orbe regat.
 5 Invide cur nostrum properasti perdere solem,
 6 lucidius speres ni jubar inde tuum.

DE EADEM

C2_121 v.1 Lucia dum vixit Soli conjuncta marito,
 2 fulgebat gemina terra beata face,
 3 nunc soli aethereo jungit sua lumina, caelum
 4 clarius hinc gemina luce repente micat.

DE PRINCIVALLE MANTICA

C2_122 v.1 Fulve leo, ternas super astans ungue columnas,
 2 nigra alis aquila flammea tecta tenens,
 3 si praedas congeSSI auceps, venator utrisque,
 4 nomine si Princeps re quoque Vallis eram.
 5 Quadrupedum rex, ore gemens, miserare jacentem,
 6 alta petens, volucrum maxima, rore riga.
 7 Cum peragi aspiciet nostro pia justa sepulcro,
 8 anne hominum quisquam lumina sicca geret ?

DE EODEM

C2_123 v.1 Qui lepores canibus per devia quaeris odoris,
 2 Gallicus excitos ut per aperta premat,
 3 perdices qui deturbas indagine obesas,
 4 ut ferus accipiter impete et ungue petat
 5 extinctum venatorem deflete frequentes
 6 quem primum aucupio Naiades [LACUNE]
 7 Naucellusque pater, tectas seu cespite prodit
 8 ille feras, per agros, seu volucrum agmen agit
 9 integer et claro nitidus splendore docebit
 10 Martia quo fuerint tela agitanda modo,
 11 quis colere officiis patriam carosque sodales,
 12 qua deceat certam ad sidera inire viam.
 13 Spargite jam cineres sacro Manesque liquore,
 14 umbra et in obscura dicite valle vale.

DE EODEM

C2_124 v.1 Da pius extincto lacrimas venator et auceps,
 2 quem fera, quem volucris victa dolore gemit.

AD NICOLAUM PROSDOCIMUM SPONSUM

C2_125 v.1 Spicula torpuerant pueri faculaeque parentis
 2 atque hominum sensus tristis habebat hiems,
 3 excutis hunc ardens subito, Nicolae, veternum,
 4 quisquis adest miro tactus ab igne calet.

5 Hinc Venerem poscunt pariter juvenesque senesque,
 6 voce canunt Hymen, o Hymenaeae, veni.
 7 Quos fausto auspicio concordēs jungis amantes,
 8 hos etiam aeterno foedere jungat Amor.
 9 Da Nicolae, modo tot basia grata Smaragdae,
 10 quot dat rus campis vere nitente rosas.

IN OBITUM PERINAE CICHINAE SORORIS

- C2_126 v.1 Templum hodie Christi genitrix de more reviset
 2 eque sacra nati pendula membra cruce.
 3 Surge, soror, tenebris animi cum nocte fugatis,
 4 post dominam ad templum sedula carpe viam,
 5 neu timeas inde alta poli convexa subire,
 6 sol tibi divino lumine pandet iter.
- C2_127 v.1 Alma Venus lucem profert, qua maximus auctor
 2 Christigenum nobis a patre jussus obit.
 3 En sacra, dilecta soror, cruce brachia pandit,
 4 inque salutiferum te vocat ipse sinum.
 5 Nosce deum subito praesenti numine plena :
 6 cum Christo credas dulce, Perina, mori.
- C2_128 v.1 Tres fratres, tria castra tibi cum monte dicamus :
 2 Numine sub trino, Jane, tuere pater.
- C2_129 v.1 Jane bifrons, tibi tres fratres, tria castra dicamus :
 2 haec tu cum sacro monte tuere pater.
- C2_130 v.1 Unicus esto haeres rerum, Cichine, mearum :
 2 dat deus his pura simplicitate frui.